





39.

4a

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

EXHIBENS

PRÆCEPTUM DECALOGI

**NON MOECHA-
BERIS.**

**JURE NATURALI ET PO-
SITIVO cum DIVINO tum HUMANO**
deductum

Quam

Deo Ter Optim. Max. Auxiliante

EX DECRETO ET AUTORITATE

Inclyti Ordinis JURISCONSULTORUM

IN ILLUSTRISCHAUMBURGICA

PRESIDENTE

DN. BERNHARDO

Schulken

ICTo Celebratissimo, Consiliario & Consistorii Hassiaci

Adessore Gravissimo, Juridicæ Facultatis

DECANO Spectatissimo

Patrono ac Promotore sancte colendo

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure honores & privilegia DOCTO-

RALIA legitime & ritu Majorem obtinendi

Publico & Placido Eruditorum examini subijcitur

ACHATIUS GVILIELMUS DRÖSEMARIUS

GRONOVIIENSIS.

IN AUDITORIO JURIDICO

diebus 9. & 10. Maji Anno 1676.

EDITIO TERTIA.

RINTHELII, Recusa 1708.

DEO
PATRIÆ
PROXIMO.



I. N. D. N. J. C.



Pud omnes gentes moratas honos est conjugio, ac ne Deo quidem isthorus displicet Grot. *in annot. in Epist. ad Hebra. c. 13. v. 4. p. 890.* quem virum summum & Amplissimum vocat Seldenus *d. I. N. G. juxta discipl. Hebraeor. lib. 2. cap. 9. p. 247.* Frequens erat apud Philosophos questio, an sapienti ducenda uxor? Qui omnia ad se referebant, considerantes, quam parum comoda sepe fiat mulierum ingenia, educatio liberorum quam molesta, quot periculis obnoxia, abstinendum à nuptiis censebant; Est in eam sententiam Antiphanis Philosophi locus apud Stobæum, & dicta Lycurgi, Thaletis, Socratis & aliorum. Nec ab re dixit Epicharmus, uxorem querere nil aliud esse, quam fortuitas tesseras projicere, & Stobæus repetit tritum versiculum: *ἄλοπον ἐξέεις βίον, χαρῶς γάμος serm. 67.* Idem refert Theodectis dichterium: *Uxor & Senectus eadem res sunt: Ultramque concupiscimus, postquam adepti sumus, contristamur. Sermon. 66.* Et de Senectute sic sentit ipse Cicero *in Cato. Major. Senectutem ut adipiscantur omnes optant, eandem accusant adepti.* Taceo incommoda cetera, quæ coacervant Hieron. *t. in Jovini. Gilbert, in 99. Oratio. Petrarchi de vit. solit. ad fin.* Quod de amore Parmeno philosophatur apud Terent. *Eunu. Act. 1. sc. 1.* nihil causæ est, cur non itidem ad conjugium trahi possit;

Here, quares in se, neque consilium, neque modum

Habet illum, eam consilio regere non potes.

In amore hac omnia insunt vitia: Injuria.

Suspitiones, Inimicitia, inducia,

Bellum, pax rursus. Incerta hac si tu postules

Ratione certa facere, nibilo plus agas

Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Vide Arnifæ: *Tract. de jure connub.* Contra qui publicas spectabant utilitates dicebant, Reipublicæ, sicut alia tributa, & liberum sationem deberi. Et in eam partem habes apud Stoicæum dicta illustria Musonii & Hieroclis. Menander sic ait:

Γαμῶν ἐάν τις τὴν ἀληθείαν σκοπῇ,

Κακὸν μὲν ἔστιν ἄλλ' ἀναγκαῖον κακόν.

Metellus Numidicus in Oratione quam Censor habuit: *si sine uxore possimus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, salutis perpetua potius, quam brevi voluptati consulendum.* Itaque cum Corinthii sub Christianorum nomine Philosophi verius quam Christiani varie tractassent hanc controversiam, pii quidam homines, qui Apostolum illis Doctoribus præferrent, consulendum cum hac de re censuerunt. Is vero, ut in omnibus, ita in hac re Deum potius & Ecclesiam spectans, vitam quidem sine nuptiis præfert, quod sic expeditius quis Deo, & Ecclesiæ, & Sanctorum singulis inservire possit. Cæterum iis, qui temperare sibi à faminis aut non possent, aut etiam nollent, nuptias dicit, non conducibiles modo, sed & ἕξ ὑποθέσεως necessarias, ideo quod Deus seortatione vehementer offendatur. Grot. *in annot. in Epist. ad Corinth. c. 7. p. 378.* Beatus Calixt. *in exposit. epist. S. Apost. Paul. ad Corinth. prior. c. 7.* ubi notat, quando dicitur in Epist. ad Corinth. **BONUM VIRO MULIEREM NON ATTINGERE** quod *Bonum* ibi non opponatur vitio, sed ei quod molestis & distractionibus est obnoxium. Et explicat Paul. semetipsum cum scribit *vers. 26. & 28.* *Existimo hoc bonum esse, propter instantem necessitatem, quod si & duxeris uxorem non peccasti.* Verum spectandum est non modo quid

alicu-

alicujus gratia commodum sit, sed quid per infirmitatem fieri possit ab hominibus, ne dum incommoda & molestias vitare cupimus, in peccata prolabamur, quorum occasiones fugere debemus, quicquid potius molestiarum fuerit, subeunt. Et ne videretur Apostolus *v. 12.* quibusvis necessitatem contrahendi matrimonii imposuisse, hunc scrupulum eximit, & probat se non à quovis conjugium exigere, ut, quod præceptum sit, & si non ineatur, eo ipso Deum homo cœlebs offendat, sed ut remedium adhibendum ab iis, quibus Deus dona continentia largitus non fuit. Illa enim proprie dicuntur præcepta, quæ sunt de Officiis iustitiæ, & cultibus per se Deo placentibus. At cultus Dei per se, nec in conjugio consistit, nec propter cœlibatum vel conjugium quisquam à Deo vel in gratiam recipitur vel reprobatur. Est itaque conjugium adæquata sive, ut Medici loquuntur, appropriata & divinitus ordinata medicina ultionis, per quam fit, ut ardor reslinguatur, & legitime laudabiliterque agatur, quod alioquin vitiose & nequiter ageretur. B. Calixtus *de Conjug. Clericor. p. 72.* Et si dictamen rectæ rationis & Lex naturæ hominem cum periculoso morbo consistentem non permittit, idoneam medicinam, quæ in promptu sit & facile adhiberi queat, contemnere vel repudiare; quomodo permittat ægritudini periculosissimæ quæ æternam mortem inducere minetur, parato remedio non prævertere? *Ut scortationem evidemus, ut moderemur concupiscentiam, ut vivamus pudicè, ut placeamus contenti uxore propriâ, hoc nobis adfert conjugium, hic epus fructus, hoc inde lucrum est:* ut alicubi dixit Chrysostomus *Homil. 22. in varia loca Matthæi & Homil. 21. in Genes. Ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse conjugium. Quia, si sobrius sumus, neque educatio, neque conjugium, neque aliud quid nobis oberit, quo minus placeamus Deo: Nam si nuptia, dilecti, vel puero- rum educatio, præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset universorum Dominus, ne in rebus præcipuis & maxime necessariis non laderet. Sed quia non solum nihil nobis obstant ad Philosophandum Deo, si volumus esse sobrii, sed magnam adferunt consolationem, dum compri-*

manant insanum natura impetum, nec tubari quasi mare sinunt, sed efficiunt ut navis feliciter in portum appellat, ideo consolationem hanc humano generi tribuit. Ecce in conjugio portum, in coelibes vita turbarum mare agnoscit Chrysofomus, Vid. B. Calixtus *d. Conjug. Cler. pag. 46. § 101. 102.* Et Paphnutius confessor in Synodo Nicæna *σωφροσύνην ἐπέδει* (verba sunt Socratis) *τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν σελεύσιν congressum viri cum legitima uxore sanctimoniam appellavit.* Quippe, *honorabile Conjugium, ἢ καὶ κοίτη ἀμίαντος* & cubile impollutum id est vagarum libidinum, fornicationum, adulteriorum expers. *Heb. 13. 4.* Conjugium, inquam, quod cubile impollutum præstat, & fornicationes ac adulteria excludit, honorabile est. *Non in hac quidem parte,* ait Theophylactus, *pretiosum & honoratum in illa vero secus, sed totum per omnia pretiosum est; quod in castitate hominem conservet.* Cyrillus Jerosolym. catechesi illuminatorum quarta: *Ne, cum magnopere studes continentie, sis instans adversus illos, qui occupati sunt in nuptiis, nam & hi mundi sunt. Honorabile enim conjugium & thorus immaculatus, dicit Apostolus. Et tu qui id ignoras, num quid non ex nuptiis natus es?* Verum quidem est, quod notavit August. *de Civ. Dei l. 14. c. 17.* Verecundiam humanam in actu illo secretum semper quærere, sed eadem secretum quoque quærere, cum vesica & alvus est exoneranda, quia & hic quoque aliquid turpitudinis occurrit, non quidem moralis, sed naturalis. Et sane conjugium secundum suam substantiam, etiam in statu innocentie & Paradiso, etiam si Protoplasti non peccassent exercendum fuisset. B. Calixt. *de Conjug. Cleric. p. 53. § p. 267.* Nonnulli quidem ex antiquis Patribus contrariam sententiam amplexi sunt. statuerunt, si Adam non peccasset multiplicationem hominum, non ut nunc sit, per carnalem copulam, sed eo modo, quo facta est in Angelis figuram, Gregor. Nissen. *in lib. de hom. cap. 28.* Damascenus *de fid. Orthodox. lib. 4. c. 25.* quibus consona sunt, quæ scribit Chrysofom. *homil. 18. in Genesin super illa verba cap. 4. Adam cognovit uxorem suam.* S. Augustinus *in lib. 14. de civit. Dei c. 21.* commemorat quorundam opinionem, verba illa,

illa. Crescite & multiplicamini, spiritualiter tantum interpre-
 tantium: Quidam, inquit, illud crescere & multiplicamini, non se-
 cundum carnalem fecunditatem volunt intelligi, quia & secundum
 animam intelligitur tale aliquid dictum: Multiplicabis in anima
 mea virtutem: ut id, quod in Genesi sequitur: Et implete terram,
 & dominamini; terram intelligunt carnem, quam presentia sua
 implet anima, ejuque maximè dominatur, cum in virtute multipli-
 catur. Carnales autem fetus sine libidine, qua post peccatum ex-
 orta, inspecta, confusa & velata est, nec tunc nasci potuisse, sicut neque
 nunc possunt: nec in Paradiso futuros fuisse, sed foris, sicut & factum
 est: nam posteaquam inde dimissi sunt, ad gignendum filios coierunt,
 eosque genuerunt. Siceo loco Augustinus, qui tamen ad hanc
 ipsam opinionem aliquando adhæsit, ut patet legenti, quæ
 ab illo disputantur super illis verbis: Crescite & multiplicami-
 ni tum in lib. 1. in Genesi contra Manichæos cap. 19. tum in lib.
 13. Confession. c. 24. Verùm non in ista sententia perstitit Au-
 gustinus: nam eam aliis locis acerrimè oppugnavit. Sanè in l.
 14. de Civit. Dei c. 22. adversus eam ita disputat: Nos, inquit, nullo
 modo dubitamus secundum benedictionem Dei crescere & multipli-
 cari, & implere terram, donum esse nuptiarum, quas Deus ante pecca-
 tum hominis, ab initio constituit creando masculum & feminam: qui
 sexus evidens utique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam be-
 nedictio subiecta est. Nam cum Scriptura dixisset: Masculum &
 foeminam fecit eos: continuo subdidit. Et benedixit eos Deus
 dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & do-
 minamini ejus &c. Que omnia, quanquam non inconvenienter
 possent etiam ad intellectum spirituales referri, masculum tamen &
 foeminam non sicut simile aliquod, etiam in horum uno intelligi por-
 est: quia videlicet in eo aliud est quod regit, aliud quod regitur: sed
 sicut evidentissimè apparet in diversis sexus corporibus, masculum &
 foeminam ita creatos, ut prolem generando crescerent & multiplicarentur,
 & implerent terram, cui sententia tam evidenti, magne ab-
 surditatis est reluctari. Neque enim de spiritu qui imperat, & carne
 qua obtemperat: aut de anima rationali qua regit, & irrationali cu-
 piditate qua regitur: aut de virtute contemplativa qua excellit, &
 de activa qua subditur: aut de intellectu mentis & sensu corporis: sed

sed aperte de vinculo conjugali, quo invicem sibi uterque sexus obstringitur. Dominus interrogatus, utrum licet quacunque ex causa dimittere uxorem? respondit atque ait: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & foemina[m] fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Certum est igitur, masculum & foeminam ita primitus institutos, ut nunc homines duos diversi sexus videmus & novimus. Hactenus verba fuere Augusti. Et profecto negans sententia recte rationi & sacris Pandectis repugnat: narrat enim Moses 1. Gen. v. 24. Deum ab initio creando hominem, fecisse Mare[m] & foeminam, quorum nisi ad generandam prolem? In hunc enim finem à Deo est instituta discretio sexus in mare[m] & foeminam. Addit præterea Moses, Deum benedixisse illis & dixisse: Crescite & Multiplicamini, pro illo crescite hebræum verbum proprie significat fructificate. Selden. de I. N. G. juxta discipl. Hebraor. lib. 5. cap. 3. Deinde Adam conspecta Eva, divino afflatu dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Et erunt duo in carne una, id autem fit per copulam carnalem. Deinde distinctio sexus, & conformatio membrorum, quæ natura generationi destinavit, naturaliter insunt homini, nec sunt data propter peccatum, sicuti vero homo essentialiter est animal, ita est vivens: Viventium vero est Autore Aristot. lib. 2. de Anima generare sibi simile; Benedict. Perer. in Commentar. in Genesim. lib. 4. cap. 1 v. 24. qu. 1. de creat. hom. p. 157. Notandum hic, quod non Hebraice, nec Chaldaice fit illa locutio, Duo in carne una, sed in accusativo, Erunt in carnem unam. LXX. tamen Interpretes addiderunt illud Duo, & ita commemoratur à Domino nostro Matth. c. 19. Quare bene illud Duo addidit Latinus Interpres. Illud porro in carne una, dictum est phrasi Hebraica pro eo, quod erunt duo una caro, ut patet ex conclusione Domini in prædicto Evangelii loco: cum enim dixisset: Et erunt duo in carne una, ex eo hoc consecrarium elicit. Itaque jam non sunt duo, sed una caro

caro. Grotius in *Commentar. ad Evangelist. Matth. 19. pag. 325.*
 Divus Thomas *super c. 5. Epist. ad Ephes. sect. 10.* tractans locum
 Mosis. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem &c.*
 ita scribit: *His verbis triplex conjunctio viri & mulieris designatur:*
prima per affectum delectationis, quia tantus est affectus utriusque inter
ipsum, ut parentes suos relinquant. Nam licet quoad reverentiam, obe-
dienciam & subventionem plus debeat quisque diligere patrem quam
uxorem, attamen quoad domesticam societatem, adhesionem & cohabitacionem.
plus debet diligere uxorem. Videtis Benedict. Perer. in
Genesin. pag. 155. qui tradit simpliciozem & planiorem horum
 verborum: *Quamobrem relinquet homo patrem &c.* interpretationem
 esse debere conjunctionem viri cum uxore sua, quam
 cum propriis parentibus. Pro illo: *Adhærebit uxori suæ.*
 LXX. verterunt. *Agglutinabitur uxori suæ.* Chaldaice ad verbum
 est. *Hærebit in uxore suæ.* Illa difficultas moveri solet,
 an illis verbis: *Crescite & multiplicamini*, à DEO sit datum
 præceptum hominibus ineundi conjugia, & dandi operam
 libris propter humani generis multiplicationem? Præcepti
 vim verba illa continere recentiores Scholastici fere in eo
 conveniunt, in eo verò sunt discrepantes opiniones, an tale
 præceptum vim habeat obligandi omnes homines in indivi-
 duo, an saltem genus humanum? Divus Thomas 2. 2. *qu. 152. art.*
 2. arbitratur illo præcepto non obligari singulos homines in
 individuo, sed multitudinem hominum. Scotus in 4. *sentent. distinct.*
 6. putat illo præcepto obligari omnes & semper, verum
 non ad semper, sed tantum in casu necessitatis, cum scilicet hu-
 manum genus propter sævissimam aliquam pestem aut cla-
 dem, aliasve calamitates adeo diminutum esset; & ad tantam
 redactum paucitatem, ut nisi per generationem prolis quam-
 primum succurreretur, timeri posset, ne vel simpliciter & in
 toto orbe, vel certe in aliquo regno aut Provincia penitus in-
 teriret. Benedict. vero Perer. in *Genes. p. 160. n. 246.* sacris literis
 congruentius esse statuit, nullum in his Dei verbis, *Crescite &*
multiplicamini, præceptum contineri: sed voluisse Deum ex ora-
 tione declarare, propterea se, cum crearet hominem, fecisse eum
 marem & foeminam, ut per legitimam eorum conjunctionem

B

huma-

humana proles generaretur, & ita genus humanum omni seculo propagatum, perpetuo conservari posset: quo autem celerius & copiosius genus humanum multiplicaretur, maximam se utrique sexui fecunditatem indidisse, idque sua benedictione significasse. Ob id autem imperandi modo dixit Deus: *Crescite & multiplicamini*; ut intelligeretur, illum Dei sermonem operatorium esse & efficacem ejus, quod significatur illis verbis: ut sicut in aliis omnibus, ita in hoc illud verum fuerit: Dixit & facta sunt. Nullum autem verbis illis Dei præceptum subesse, hinc argumentis probari potest. Etenim ut Deus dixit hominibus: *Crescite & multiplicamini*, sic quinto die creatis piscibus & avibus similiter benedixit ac dixit, *Crescite & multiplicamini*, & replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram. Quis autem usque eo sit amens, ut putet, illis verbis datum esse à Deo præceptum piscibus, generandi & multiplicandi genus suum? pisces nempe cum ratione careant, Dei legis & præcepti minimè sunt capaces. Deinde, quemadmodum dixit Deus, *Crescite & multiplicamini*, ad eundem modum dixit primis hominibus: *Replete terram & subjicite eam, dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*. Neminem autem crediderim esse, vel tam rudem, vel tam opinionis suæ tenacem, ut dicat, præceptum homini esse à Deo, ut subjiciat sibi terram, & dominetur animalibus: cum per se manifestum sit, illis verbis non aliud significari, quàm datum esse homini imperium in animalia, usque ea capiendi ac possidendi, & ad usûs suos, prout libitum fuerit, conferendi. Nos distinguimus eum Excellentiss. Dn. Johan. Musæo SS. Theologiæ D. in Academia Jenensi Professore Celeberrimo in dissertat. Theolog. priore de communione sub utraque specie, utrum à Christo sit præcepta, quod sicuti præceptorum objecta, seu ea, quæ LL. præcipi solent, bifariam considerari possunt. 1. Secundum se & rationem suæ definitionis, substantiæ & quidditatis, vel ut Scholastici loqui amant, quoad specificationem actus 2. Prout fieri & in actum traduci debent, seu ut aliàs loquuntur, quoad exercitium actus, ita Præcepta duorum sunt generum. Quædam præcise actus specificationem concernunt, seu ut clarius dicam, rem

rem ipsam secundam se & in substantia sua faciunt & præscri-
 bunt, qualiter fieri oporteat actum, cum res sancita in actum
 traducenda est. Cujusmodi præceptis annumeramus *Legem*
matrimonii, quòd duo indissolubili nexu sint conjungendi in
 carnem unam *Gen. 2. vers. 24. Matth. 19. vers. 40.* quæ non jubet
 matrimonium inire, sed ipsum sancit matrimonium
 secundum se, & præscribit qualiter inter se conjungi
 oporteat conjuges, cum matrimonium ineunt; item cum in
 Jure Civili sancitur, ut in testamenti constitutione certus testi-
 um numerus, & solennitates aliæ adhibeantur, nemo jubetur
 testamentum condere, sed præscribitur tantum, qualiter fieri
 oporteat testamentum, si debeat esse ratum & validum. Alia
 verò pro objecto habent actuum exercitium, & simpliciter ju-
 bent, vel prohibent actum fieri, qualia sunt v. g. præcepta quæ
 prohibent occidere, moechari, furari, vel quæ jubent Eleemo-
 synas dare, orare. Quam præceptorum distinctionem inculca-
 vit Franciscus Suarez de *LL. lib. 1. c. 1. n. 8.* Dicit itaque potest, quòd
 institutio matrimonii habeat vim præcepti, non quidem quo-
 ad exercitium actus, sed saltem quoad specificationem actus, vel
 quòd conjugio, quatenus incontinentiæ & libidinum adæqua-
 ta medicina est, omnes indigos ægros uti Deus non modo cu-
 piat, sed præcipiat. Est enim præceptum divinum, ut qui se non
 continet, sive sit Clericus, sive Laicus, matrimonium contra-
 hat, & vitandæ fornicationis ergo uxorem habeat. Hoc præ-
 ceptum juris divini, tum scripti, tum naturalis, nulla Lex Pon-
 tificia vel in totum, vel ex parte potest abolere, & si prodierit
 aut prodeat aliqua, nullarum est virium, nec à quoquam mor-
 talium attendi debet vel servari B. Calixt. de *conj. Clericor.*
p. 101. Vide Samuel Puffendorff. *Element. Jurisprud. Univers. lib.*
2. ob. 4. n. 91. qui probat, quòd jus naturæ matrimonium inire
 præcipiat quibuslibet per naturam habilibus, nisi prospexerint
 probabilissime, plus se humano generi allaturos commodi, vitæ
 in casto coelibatu transactæ, quam si similes sui procreaverint:
 Verum cum illud præceptum sit affirmativum, non obligat
 nisi commoda occasione datâ, quæ metienda est non
 tantum ex nubili ætate; sed etiam considerandum,
 an rationes status, quem quisque in civitate tueri debet, id
 patiant;

patiantur. Inito vero matrimonio servanda est fides conjugalis, quam etiam servari Deus in Lege Decalogi præcepit inhibitis adulteriis. Nos in præsentiarum constituimus explicare hanc Legem Decalogi, quæ prohibet actum injustitiæ, quæ familiæ infertur, cujus fundamentum est matrimonium Grot. *de I. B. ac P. lib. 2 c. 20. n. 30.* Ne vero incerto ordine vagemur, huic Methodo insistemus, & nostrum discursum his limitibus, circumscribemus, (1.) explanabimus, quæ sit mens hujus Legis prohibentis, & ex quo jure illa prohibitio fluat. (2.) Quibus casibus matrimonii fides violetur & quomodo hoc delictum in auditorio conscientiæ, & exteriori foro humano æstimetur, (3.) quæ sint ampliaciones hujus legis prohibentis. (4.) an sint aliquæ exceptiones vel temperamenta. (5.) quomodo delictum hoc probeatur. (6.) ad quid jure naturali adulter & adultera in restitutione teneantur. (7.) quæ poena in jure divino & voluntaria humano constituta. (8.) quibus ex causis illa ordinaria poena cesset. (9.) an & quatenus ob hoc crimen divortium sit concedendum. (10.) an præscriptio in hoc crimine locum habeat? Jesu Juva!

Auspice qui Christorum primordia sumit.

Illius optato tramite cæpta cadunt.

Cursu, enim felix, & casu prosper in omni

Successu celo non aliunde venit.

THES. I.

JUS naturæ dupliciter considerari potest, primò, ut est regula actionum rectarum seclusa DEI voluntate; deinde, ut est lex aliqua, quæ posterior ratio priorem includit, & hanc definitionem suppeditat: Lex naturæ est naturale quoddam dictamen rectæ rationis, per quod Deus homini ut homini facienda vel fugienda quasi imperat, quæ ipsum naturæ decent vel dedecent Grot. *de J. B. & P. lib. 1. c. 1. n. 10.* Hoc jus neque est lex, nec vim obligandi habet, nisi superioris alicujus voluntate, homo enim sibi ipsi aut rationi suæ non obligatur, sed alteri, qui idem præcipit vel vetat, quod sua cuique

cuique ratio dicat, vel prohibet: Tolle superioris voluntatem tum magna quidem erit hominis perfectio, sequi rectam rationem; verum non sequi, etsi ingens sit damnum, & maxima imperfectio; delictum tamen quod poena maneat non fuerit. Superior ille ac quasi Legislator non nisi superior autor naturæ Deus est. Eleganter Cicer. de legibus 2. Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenis excogitaram, neque scitum aliquid esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi probi & bonique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei. Et paulo post: Nec si regnante Tarquinio nulla erat Roma scripta lex de stupris, idcirco non contra legem illam sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filie attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura & ad recte faciendum impellens, & à delicto avocans, qua non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est. Orta autem est simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque Princeps apta ad iubendum & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis. Tertullianus de interdicto arboris Scientiæ boni & mali locutus, adversus Judæos cap. 2. in hac lege ait: *Adā data omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, i. e. diliges Dominum Deum tuum* (ea innuit quæ in Mosaico corpore scripta etiam pro naturalibus seu morabilibus, adeoque Mose ipso multum Veterioribus vulgo sumuntur) *de roto corde tuo & ex tota anima tua; & diliges proximum tuum tanquam te, & non occides, non mæchaberis, non fraudaberis, falsum testimonium non dices, honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces.* Atque hanc primordiale legem appellans matricem quasi esse scribit omnium præceptorum. Et post; *Ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur.* Nam unde Noe justus inventus, si non illum naturalis legis justitia præcedebat? Unde Abraham amicus Dei deputatus, si non equitate & justitia legis naturalis? Idem fere Hieronymus in Esaiam lib. 8. Chryostomus in oratione 2. ad Popul. Antiochenum. Ambrosius in Psalm 104. Molina de justitia & jure tract. 1. disp. 3. Alphonfus à Castro in Legib. penalibus lib. 2. 14.

Vasquius *controverfiarum illuf. lib. 1. c. 29. §. 14.* Suarez. *de LL. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 6.* Hugo de Roy *de eo quod iufum lib. 1. tit. 3. num. 4.* Samuel Pufendorff *in Elem. juriſprud. univerſ. lib. 2. de fin. 13. §. 17.* Continet vero hoc jus naturale omnia præcepta, ſive principia moralia, quæ evidentem habent honeſtatem neceſſariam ad rectitudinem morum, ita, ut oppoſita moralem inordinationem, ſeu malitiam evidentem contineant; illa enim quæ naturali ratione cognofcuntur, diſtingui poſſunt, quod quædam ſint prima principia generalia morum, quale eſt honeſte vivendum, id eſt ſecundum rectam rationem, & ſimilia, de quibus, nullum eſt dubium, pertinere ad legem naturalem; quædam principia his ſint proxima, ſed ita manifeſta ut dubitationem non admittant; ut juſtitia eſt ſervanda, Deus eſt colendus, & ſimilia, de quibus etiam nulla dubitatio eſt; quædam ſint concluſiones, quæ per evidentem illationem ex principiis naturalibus inferuntur, & non niſi per diſcurſum cognofci poſſunt, inter quas quædam facilem habent cognitionem, v. g. poſito matrimonio non eſſe admittendum adulterium, aliæ vero difficiliorem, ut ultionem quæ in dolore alterius ac quieſcit eſſe vitioſam. Grot. *d. l. B. ac P. lib. 2. cap. 20. num. 43.* Suarez *de legibus lib. 2. cap. 7.* Sciendum præterea jus naturæ non de iis tantum agere, quæ citra humanam voluntatem exiſtunt, ſed de multis etiam quæ voluntatis humanæ actum confequuntur. Suarez *de LL. lib. 2. c. 14. n. 7. & c. 17. n. 9.* Grot. *de l. B. ac P. l. 1. c. 1. n. 10.* Hugo de Roy, *de eo quod juſt. lib. 1. tit. 2. n. 9.* Sam. Pufendorff. *E-lement. juriſprud. univerſ. lib. 1. def. 13. §. 10.* Quod ſi homo in glorioſo integræ naturæ & rationis ſtatu permanſiſſet, nulla ſane ſcriptura, nulla hujus juris expreſſa promulgatione aut renovatione, nulla denique prædicatione opus fuiſſet; cum nobiliſſimam eorum notitiam, atque inſuper obſervationis perfectionem, ſuperne naturæ ſux inſitam haberet. - At per lapſum naturâ corruptâ degeneratâque, ſi non omnimodâ ſaltem perfectâ omnium cognitione, atque obſervationis habitu, & ſe & omnem poſteritatem orbavit. Deus infinite miſericors, populo ſuo jura reſtituit, quemadmodum paſſim in ſacris Noſtris unicuique ſas eſt dignoſcere; non tamen ita fecit genti ulli, ut ipſe proteſtatur.

stat. Quocirca nullibi recta ratio ejusque principia & præcepta pura completa & omnibus partibus absoluta reperientur magis quam in S. scriptura: Ita enim & ab eo vel nullo erant renovanda ac restituenda. Quod Prophetam Regem neutiquam latuit, quum precaretur Deum cum in modum: *Doce me rectam rationem & scientiam. Psalm. 119. v. 66. Bonus es & beneficus, doce me jura tua, Psalm. eodem v. 68.* Vid. Hugo de Roy de eo quod justum lib. 1. c. 3. §. 10. Hinc S. Augustinus enarrat in Ps. LVII. *Quandoquidem manu formatoria nostri ipsis cordibus nostris veritas inscripsit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiffus est, ut esset unde indicaretur, & quibus Lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere volebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur: Et paucis interjectis: Quid homines appetentes ea, qua foris sunt, etiam & se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex: Non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras, cordis tui ab illo, quod ubique est, comprehendere, & ad te ipsum intro revocare. Propterea scripta lex, quid clamat eis, qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? Præterea duplicia sunt præcepta decalogi, alia affirmantia, quæ actus aliquos præcipiunt, alia negantia, quæ nonnullos interdiciunt. Illa quidem obligant semper, sed non ad semper id est non nisi cum adest obligatum, circa quod actus exercendus est & reliqua sine quibus ille peragi nequit, hæc obligant semper & ad semper sicut scholæ docent, id est nullo loco aut tempore licitum est perpetrare quod prohibent, ut homicidium, adulterium, furtum committere, sunt tamen præcepta affirmantia sive jubentia ita comparata, ut inolvant negationem, sive prohibitionem oppositi, & vicissim negantia vel prohibentia, ut præcipiant contrarium, sic cum lege naturæ præcipitur ut parentes honorentur, prohibetur, ne contemnantur aut contumelia vel injuria afficiantur, & illo præcepto decalogi, quo prohibemur scortari, adulterium committere, jubemur caste vivere.*

II. Hæc Lex Decalogi: *Non machaberis*, prohibet adulterium (in Hebræo præcedit de non occidendo præceptum: quem ordinem & græci Codices in Deuteronomio nunc habent, cœterum ne quis recens hoc putet, Philo jam suo tempore legit, ordinatimque prægrediens ait de Deo; τὴν ἑξῆς ἀναγραφόμενος (nempe πεντάδα) περιέχουσαν ἀπαγορεύσεις τῷ πρὸς ἀνδρώπῳ, ἀπὸ μοιχείας ἀρχεται, secundum numerum quinarium scripturus, continentem ea interdicta, quæ ad homines pertinent, initium ab adulterio facit, & causam addit: μέγιστον ἀδικημάτων τῶτο εἶναι ὑπολαβὼν, inter injusta facta hoc maximum existimans, & quæ ibi sequuntur. Et rursum postea cum mala ex adulterio sequentia facunde exposuisset, εἰκότως συνητὸν καὶ θεομίσητον πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγείρει, merito Deo hominibusque exosa res adulterium inter crimina ordinem ducit: Nec aliter legere Christiani veteres qui codices Græcos sequebantur: ut Terrullianus de pudicitia: *Et amplius præmittens, non machaberis, adjungit, Non Occides, oneravit utique machiam, quam homicidio antepone.* In prima itaque fronte sanctissima legis, in primis titulis cœlestis edicti, principalium utique delictorum, proscriptione signata, de loco modum, de ordine statum, de confinio meritum cujusque dignoscas. Est & malè dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. Pompam quandam atque suggestum adspicio machie, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii subsequenter. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digne sededit, & per medium eorum, quasi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circumfultam, à cobarentium corpore divelleret, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu? Verum inter ea, quæ pariter interdicta sunt, parum refert qui ordo servetur. Grotius in explicat. Decalogi ad verba *Non Machaberis*, qui statuit Græcam editionem non vetustate tantum, sed & ratione probabili defendi posse, quod pudicitiam vitæ multæ Hebræorum mulieres prætulerint, quodque Aristotele judice lib. 7. Ethic. cap. 6. graviora sint crimina, quæ ex voluptatis desiderio, quam quæ ex ira venint, & si quis consideret ex conjugii nasci conservarique civitates, earum funda-

fundamenta conveli adulterio, conjugalem amorem in odium verti, supponi hæredes, domos totas impleri probris atque inimicitiiis, quæ sæpe & in perniciem publicam erumpant, nemo negare poterit, hoc factum esse crimen atrox, quod crimen Deus in sacro Codice prohibuit, *Exod. 20. Non mœchaberis. Levit. 20. si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjugè proximi sui, morte meriatur & mœchus & adultera. Idem habetur Deuter. 22. & 27. Maledictus qui dormierit cum uxore proximi sui. Job. 31. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii: hoc enim nefas est, & iniquitas maximâ. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Vide pulcherrima in hanc sententiam Ecclesiastic. 23. Proverb. 6. Ierem. 5. 1. ad Corintb. 6. Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt. Adde etiam animalia, adulterium detestari & vindicare; ut Guilielmus Parisiensis *debelluarum*, ut ipse vocat, *Justitia: & Juribus part. 1. de univers. part. 3. c. 8. Diligentem, inquit, considerationem faciens per singula, invenies nihil vacare à creatoris justitia: quando & ipsas belluas, & pene omnia genera animalium invenies, quandam exercere justitiam, & juræ suæ defendere. Attende qualiter ursa rapinam, vel necem catulorum suorum vindicet. Similiter & leo, qualiter pro uxoribus, pro nidis, pro escis & pro pullis seu sætibus suis pugnet: quanta justitia labores suos masculi & femina invicem patientur, ut feminâ remanente in nido vel spelunca, masculus ad perquirendum cibum atque reportandum femina suæ & sætibus egrediatur & regrediatur: in eo Ciconia tanquam de adulterio convicta, per olfactum masculi sui congregata multitudine ciconiarum, nescio qualiter accensante masculo vel detegente ejus crimen, à tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est, tanquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata. Narratur de equo, qui ignoranter cum matre sua concubuerat, postquam hoc deprehendit, propriis dentibus sibi genitalia abscessisse tanquam in se ipsum vindicans incestum, quem commississe sibi videbatur, licet ignorans eo quod operimento abscondita esset mater ejus, dum eam ascendebat. Pisces idem aliquos, aves & quadrupedes nonnullos adulteria fugere notatum est. Vide sis Jodoc. Damhouder. *pax criminal. cap. 19. §. 101. Vincent.***

C

Tur-

Turturet. in *Parallel. Ethicis & Iuridicis dissert.* 34. Quin & palumbium coetum velut iudicio solenni morte punire sui generis adulteros scribit Philo *cap. 19.* Elephantorum item odium & vindictam in adulteria hominum perinde ac si juris officio subniterentur, legimus apud Ælianum *d. Animalibus lib. 11. cap. 15.* Ambros. *Hexamtr. lib. 5. c. 3.* asinorum & equarum coitus, *adulterina ontagia, & vera adulteria natura, & adulterium jumentale vocat Selden d. I. N. & G. juxta disciplin. Ebræor. lib. 1. cap. 5.* Lessius *de just. & jur. lib. 4. c. 3. dubit. 10.* Quodigitur tam turpe est, ut naturali instinctu bruta animantia ab illo abhorrere videantur: multo magis homines, qui dictatum rectæ rationis sequi tenentur, illud crimen fugere debent. Et si Cicero pro Roscio idè patricidium omnibus aliis criminibus præiert, quia in eo omnia scelera contineri videntur, quid statuendum de adulterio, in quo ferè non pauciora continentur? Adulteram mulierem dicit Salomon perfide deserere herum suum & frangere fœdus Domini, *Prov. 6. 2.* Ecclesiasticus triplex vitium imputat eidem; *Primum, inquit, inobediens sit mandato divino, deinde peccat in virum, & denique supponit mendacem seipsum. Syr. 6. 27.* Continet etiam adulterium speciem quandam furti, quia persona peccans jus sui corporis suffuratur innocenti: *1. Cor. 7. nec non sacrilegii, Corral. Amor. 85 in Anast. Thol.* quia temerat sacrum jus nubiorum, & auctoritate divina munitum vinculum temerario ausu convellit, corpus Deo consecratum transfert in mancipium scorti, ut disputat Paulus contra scortatores. *1. Cor. 6.* Hinc certè adulteri nominantur sacrilegi nuptiarum, *1. quamvis C. de Adulter.* committitur etiam quandoque homicidium, quia clanculum armatur adulter in eos, quos suis conatibus resistere novit, & intentionem habeat, si necessitas efflagitet, ferro se defendendi, vel offensum maritum aggrediendi. Arnif. *de jur. connub. cap. 5. n. 57.* ubi refert Comitem vicinum Landgravium Thuringiæ tandem connivente adultera in venatione longius prosectum occidisse, cum uxore ejus vivente marito potiri non posset, *Rivard. in Chron. Thur. Arnifæus de jur. connub. cap. 5. sect. 8. n. 58.* quod & comprobatur exemplum Davidis, qui adulterium homicidio cumulare non dubitavit, eo quod vivo

vivo Uria Bethsaba copiam sibi fieri non posse sciret, 2. Reg. 11. Ipse Pontifex Johannes XII. non potuit tutus ex alterius gynaeco domum se recipere, quin turpiter periret, qui turpiter vixerat. Platin. in Job. 2. Quare miretur aliquis, quod in mentem venerit Alexandro III. adulterium inter crimina leviora, & minora collocare c. & si Clerici, 4. §. 1. de judic. Cujus rationem refert Lucas de perenn. in l. mulieres, C. de incolis lib. 10. quod nimirum homines propensiores sint ad id facinus, & proinde majore venia digni: Ex quo principio nonnulli satis confidenter concludunt. Clericum ob adulterium non esse sacris ordinibus amovendum c. cum non ab homine d. judic. Quæ ratio utpote ficulnea Pontificis errorem stabilire non potest, turpitudine enim delicti non consistit in naturali intemperantia, sed in sacrilegio, injuria, & thori alieni stupratione, ad quæ vitia homo non magis proclivis est, quam ad iram & homicidia. Nec factum aliquod ex illa ratione majorem exultationem meretur, nisi velimus vitia anteferre virtutibus, quia omnis nostra natura post lapsum ad vitia proclivior est quam ad virtutes. Arnise de jur. connub. d. c. 5. sect. 8. n. 63. Rectius cum Clemente quis dixerit: Quid in omnibus peccatis adulterio est gravius? c. quid in omnibus 32. q. 7. Prosper Farin. part. 5. oper. crim. qu. 140. n. 6. Petr. Heig. part. 2. qu. 29. in princ. Carpov. in prax. crim. part. 2. q. 51. n. 31. 32. 33. Et quidem furto gravius est hoc delictum, quod confirmat sapientissimus Rex Salamon. quando ait? Non est grandis culpa, cum quis furatus fuerit, furatur enim, ut esurientem impleat animum, deprehensus quoque reddet septuplum: & omnem substantiam domus sue tradet, & liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur: Quia zelus & furor viri non parceret in die vindictæ, nec acquiescet cujusdam precibus; nec suscipiet pro redemptione dona plurima, in Proverb. cap. 6. vers. 30, 31. 32. & seqq. Quibus verbis penè majorem culpam imputat adultero libidini indulgenti, quam furi bona alterius auferenti, major vero est culpa ratione objecti: fur enim nil nisi bona externa aufert, quæ facile recuperari possunt, per adulerium pudicitia decus, honor & fama eripiuntur, quæ certe

nunquam redeunt, & bonis externis præferenda. Unde fit, quod parentes amantes honestatis, ob stuprum filia illatum mœrore fere contabescant, qui tamen propter externa sibi erepta tantum non dolent; Altera ratio est desumpta à causa efficiente, *d. c. 6. v. 30. Pr. verb. Furatur enim quis, inquit, ut esurientem impleat animam.* Et *vers. 32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.* Tertia ratio est petita à severitate poenæ, *vers. 31. Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se.* Et *vers. 32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.* Quibus verbis Rex utriusque delicti, furti & adulterii poenam seu disparem sibi invicem opponit, illa enim bona; hæc vero animam seu vitam concernit: illa substantiam domus, hæc vero corpus & sanguinem tollit. Carpzov. *prax. crimin. part. 2. qu. 51. n. 43. & seqq.* Sed ob stare videtur, quod hodie poena furti, quæ est laquei, *Ordin. Crim. Carol. V. art. 162.* sit durior supplicio adulterii, quod est gladii. *l. quamvis §. fin. c. ad leg. Jul. de adult. Constit. crim. art. 120.* Unde & crimen hoc gravius esse sequi videtur, accedit, quod communiter concurrentibus hisce delictis, pro utroque crimine poena laquei ceu atrocior præferatur, uti responderunt Scabinus Lipsi. teste Carpz. *prax. crimin. part. 3. q. 132. n. 42.* Verum facili negotio hæc difficultas dilui potest, in delictis enim accurate vitiositas actus ab effectu discernenda est, illi respondet poena, huic damni reparatio, *Grot. d. I. B. & P. lib. 2. c. 17. n. 22. & l. 2. c. 20. n. 38.* In damno reparando ita proceditur, ut quod quis per alterius delictum minus habet, sive id adhuc penes delinquentem sit sive perierit, id tantummodo delinquenti adimatur, & addatur damnum passio; ita ut simpliciter garciatur ex bonis delinquentis, quod alter ipse culpa minus habet. Circa infictionem vero poenarum id quidem pro explorato habendum, poenam non posse infligi, nisi intuitu alicujus delicti, cum sit malum passionis ob malum actionis, *Grot. d. I. B. ac P. lib. 2. c. 20. n. 1.* Quanda vel qualis sit infligenda, non tam ex ipsa delicti natura, quam ex utilitate inde, vel in ipsum peccantem, vel in societatem redundante est dijudicandum. Nam repugnat rectæ rationi, hominem homini quacunque de causa mali quid imponere,

nere, in quo nihil nisi dolorem patientis spectat. Quemad-
 modum igitur ob servandam inter homines societatem praci-
 puis naturæ legibus in cunctis fere civitatibus vis legum civi-
 lium fuit danda, ut etiam metu violentiæ humanæ ad eas ser-
 vandas adigi possent, quibus aliàs reverentia Nummis parum
 efficax stimulus faciendo officio erat futurus: ita omnis quo-
 que pœna in foro humano ad eundem scopum collimare de-
 bet. Adeoque cum natura neque quantitatem, neque quali-
 tatem pœnæ definiat, nec omnino pœnam homini de homi-
 ne, nisi dicto respectu sumere concedat; recte justitiam admini-
 strabit vindicativam, qui pœnas ad istum finem probè attem-
 peraverit. Debetur itaque proprie pœna non delinquenti,
 tanquam aliquid, quod non recte ipsi posset denegari, (nisi for-
 te quatenus ipse inde emendandus est) sed societati; ac si eo ca-
 su, quo sumi debebeat, intermittatur, non delinquenti injuria
 fit, sed societati, quæ ista impunitate aut maligna pœnæ dis-
 pensatione turbatur. In quantitate autem pœnæ, quam utilitas
 publica mensurat (quemadmodum castigationes seu correctio-
 nes peccantis ingenium) delinquenti non fit injuria, si tantam
 pœnam, quantam delicto constitutam norat, subeat, siquidem
 ad delinquendum ab ipso pœne exactiore non fuerit impulsus;
 etiamsi forte pœna absolute spectata, delicto gravior videatur.
 Videfis Puffend. *Element. jur. univers.*, lib. 1. d. f. 17. §. 4. & lib. 1. desin.
 21. §. 8. ubi recte asserit, non esse necesse, ut eadem semper inter
 pœnas sit proportio, quæ est inter objecta per delictum viola-
 ta. Quippe cum ratio peccatum aliquod omittendi proprie non
 resultet ex nobilitate vel ignobilitate objecti, sed ex potestate
 & decreto legislatoris, cujus voluntari æque contrariatur, qui
 circa minus objectum quam qui circa majus peccat. Et sic non
 ita merum suum arbitrium sequuntur legislatores, aut sequi
 debent, sed pœnas intendunt aut remittunt, prout Reip. aut
 presentium temporum multum aut parum interest peccatum
 aliquod non committi. Sic extrema pœna potest affici, qui eti-
 am in minimo gradu illius sceleris deprehenditur, quo maxi-
 ma damna inferri queunt. Manet itaque inconcussum, adulte-
 rium esse gravis crimen furto, quod & confirmat Grot. *de 7. B.*
ac P. tit. 2. c. 20. n. 30. Injustitia eo major est, quo magis alteri dam-

nium inferitur. Ideo primum locum obtinent delicta consummata, postremum, quæ ad actus aliquos, sed non ad ultimum processerunt: in quibus tento quidque est gravius, quo ulterius processit. In utrovis genere ea iniustitia eminet, quæ communem ordinem perturbat, ac proinde plurimis nocet. Sequitur ea, quæ singulos tangit. Maxima hic est quæ vitam, proxima quæ familiam, cujus fundamentum est matrimonium, postrema quæ res singulas expetibiles spectat: sive directe subtrahendo, sive dolo malo causam dando damni. Possunt hæc ipsa subtilius dividi, sed quem judicavimus ordinem, Deus in Decalogo secutus est. Nam parentum nomine, qui naturales sunt Magistratus, etiam alios rectores par est intelligi, quorum autoritas societatem humanam continet: sequitur interdictio homicidii, deinde matrimonii sanctio inhibitis adulteriis, tum furta & falsimonia, loco ultimo delicta inconsummata.

III. Peccati abstractive sumpti Theologis pariter ac Philosophis Christianis, celebratissima est definitio: *Peccatum est carentia perfectionis, secundum legem inesse vel adesse debite*: quod nil aliud est, quam quod S. Johannes una voce ἀνομίαν vocat 1. epist. c. 3. v. 4. Nempe peccatum natura continet ordinem, & respectum ad legem, non tantum ut regulam & mensuram ejus quæ abest perfectionis sive rectitudinis, (quia in peccatis naturaliter cognitis, hujusmodi regula est & recta ratio, quæ tamen seclusa supremi legislatoris autoritate vim legis non habet,) sed ut ad principium, unde perfectio, quæ abest, habet, quod adesse deberet, alioquin nisi deberent adesse, ejus carentia ne quidem peccatum esset; Unde si ponamus non esse legem, ne quidem peccatum erit, hoc enim in conceptu formali involvit transgressionem legis, licet adhuc aliquid disconveniens, naturæ rationali, qua tali, & sic in genere morum turpe esse possit. Et ita abstractive sumptum peccatum, nihil præter ἀνομίαν est, & in mera privatione consistit, nisi quod, ut omnis privatio, in casu obliquo connotat subjectum, sive id, cui inhaeret ἀνομία, quod vel actio est, vel facultas, vel habitus, & sic aliquid positivi. In concreto sumptum peccatum, etiam in casu recto importat aliquid positivi, cui adhæret ἀνομία, licet for-
te non

te non omni, quicquid igitur excepto peccato puræ omiffio-
 nis peccati nomine venit, prout concretive fumitur, aliquid
 positivi in casu recto & obliquo *avovlav* importat, sic adulteri-
 um est factum *avovlv*. Notandum vero, quod ad constituen-
 dum peccatum illud quod positivum est, tantum sit materiale,
 sive id quod peccatum denominatur, & veluti subjectum, *avovlav*
 vero ratio formalis, per quam aliquid est peccatum, hoc vero
 formale peccati dupliciter dicitur. Primo, ut est specifica
 ratio cujusque quod peccatum denominatur, sed non qua-
 tenus peccatum, sed præcisa peccati ratione. Hoc sensu, adu-
 lterium, homicidium & alia peccata commissionis non consistunt
 in privatione, sed in conceptu formali terminos mere positi-
 vos important. Adulterium enim non est formaliter tale per
 privationem, sed in eo consistit, quod mas cum alienâ uxore
 aut uxor cum alieno marito consuescit. Secundo, ut est ratio
 formalis peccati, quatenus est peccatum, sive per quam aliquid
 inesse peccati constituitur, & sic sine discrimine omnibus pec-
 catis competit; Licet enim adulterium, si secundum se spectetur,
 præcisa peccati ratione, per rationes mere positivas in suo
 esse constituatur, non tamen formaliter est peccatum, nisi per
avovlav & sic per privationem, naturâ enim prius inesse suo
 constitutum est factum, quod adulterium denominatur, quâ
 peccati rationem habet: Hæc enim causalis propositio vera est.
 Quæ actio lege naturali est prohibita, illa a lege discordat & de-
 bitâ perfectione caret; Adque Adulterium, homicidium, &c.
 sunt lege Decalogi prohibita. Ergo. Hæc ratio peccati est poste-
 rior eo, quod peccatum denominatur, quatenus ipsi necessario,
 ac secundo modo dicendi per se competit, si loquamur de iis
 peccatis, quæ cum lege naturæ pugnant, quale est adulterium
 &c. repugnat enim non dari legem naturæ, quia illa præcipi-
 untur & vetantur, quæ ex se & natura sua hominem decent,
 vel dedecent: Quæ vero illa lege sunt prohibita non possunt
 non esse peccata. Arist. lib. 2. Eth. 1. 6. *Sunt enim quedam, quorum
 nominibus statim est vitium implicatum; ut malevolentia, letans alieno
 malo impudentia, irvidentia: Et in actionibus furtum, adulterium, ca-
 des.* Hæc enim omnia, & quæ sunt hujus generis, sic appellantur, quod ipsa
 mala

*mala sunt, non eorum immoderationes aut deficientie. Nunquam igitur fieri potest, ut ex h's aliquid recte fiat; Sed semper peccatur ea agendo: neque in talibus recte aut non recte faciendi vis in eo posita est, ut quatenus, & quo tempore, & quomodo adulterium facere oporteat, animadvertantur; sed simpliciter & absolute quidvis horum admittere, peccare est. Sane vero medietatem seu medium in his postulare perinde sic ac si quis in injuria faciende, in vita ignara, in intemperantia medietatem, & nimium, & parum, querat. Nam hac quidem ratione esset nimium & ejus, quod parum est, modus ac medietas, & nimium nimium, & ejus quod parum est, aliquod parum. Sed quomodo temperantia ac fortitudinis nec nimium est, nec parum (propterea, quod medietas quodammodo est summum) sic ne illorum quidem medietas est, nec nimium, nec parum: sed ut quidque admissum fuerit, ita peccatum est. Omnino enim nec nimium, nec ejus quod est parum, mediocritas esse potest: nec medietatis nimium, & parum. Verum Aristoteles saltem dicit nonnullis affectibus & actionibus tanta necessitate coherere pravitatem, ut illo modo separari possit, non vero decidit, an illis affectibus vel actionibus illa pravitas ita cohaereat, ut in primo dicendi modo per se competat, an vero ut posterior sit. Excellentissimus Dominus Musæus Procancellarius in Academia Kiloniensi in *Inst. Metaph. cap. 36. §. 33. & seq.**

IV. Non solum vero hæc lex Decalogi, dicens: *Non concubaberis*, declaravit quid esset juris naturalis, sed ipso præcepto obligationem novam priori addidit, ita ut contrasiciens non eo tantum peccaret, quod committeret actum intrinsecè turpem, verum etiam lege Decalogi vetitum Grot. *de Imper. summar. potest. circa sacra c. 3. n. 4.* Omnia crimina quæ fugienda hac lege non numerantur, sed illa saltim attinguntur, quæ aut pietatem, aut societatem humanam maximè lædunt, sic uti in lege illa, *Non occides*, non fit mentio inflictorum vulnerum, sed cædis, quod in genere nocenti corporibus illati maximum est, ita hac lege prohibente memoratur adulterium, quod naturam turpe est & prohibitum, & ut cum Persico dicam. *Secretam quarit in aurem, ne liceat facere id, quod quis vitabit agendo.* Per facta enim nuptialia marito jus fuit acquisitum, ne alterius cujusque voluptatibus uxor pateat, scilicet ne is alienam sobolem pro sua alere

alere cogatur. Hoc præcepto prohibentur mares, coelibes juxta ac maritali, ne alterius thalamo insultent. Uxores autem ex lege de servandis pactis obligantur, nemini corporis sui copiam præterquam marito facere; id quod etiam finis matrimonii omnino requirit, Puffendorff. *Element. Jurisprud. univers. lib. 2. Obs. 4. §. 27. & lib. 1. definit. 13. §. 8.* Duplex quidem potentia est in homine, una naturalis, qua quis per vires suas naturales potest exercere actionem aliquam non considerans recte ea fiat, an secus. Sic de facto homines possunt facere Legibus interdicta, & intermittere iisdem præcepta; potentia altera moralis in homine est, qua actionem voluntariam legitime possit edere, & cum effectu morali, id est ut actio illa congruat, aut saltem non repugnet legibus, producere. Homo vero habet potestatem ad agendum omne id, quod per potentiam naturalem ab eo agi potest, quicquid legibus non est interdictum, sive iisdem quoque præcipiatur; quin & sæpe amplior est potestas, quam pro viribus naturalibus. Ast ubi moralia voluntati vincula injiciuntur, id est ubi judicatur quid agendum sit, ni pericula alicujus mali subeundi se exponere velit, ab eo, cui malum illud imponendi potestas est; nunc utique, licet naturalis facultas in contraria tendendi superfit, morali tamen necessitate libertas illius constringitur, ut ex judicio rectæ rationis id potius, quod præscriptum fuit, quam contrarium ejus agendum videatur. Puffendorff *Element. Jurisprud. univers. lib. 2. obs. 2. §. 9. 10.* ex quibus hæc conclusio neci potest. Quæcunque lege Decalogi sunt prohibita, ad illa quis nos habet facultatem moralem, licet habeat physicam vel naturalem. Nota est distinctio Philosophorum quod actiones morales considerari possint, vel in esse naturæ, vel in genere morum; Illo modo circumstantiæ sunt extrinsecæ, nec ad essentiam actionum pertinent, hoc vero modo omnino de substantia sunt: ita propria uti uxore vel aliena, quatenus est actio Physica naturalis, essentialiter est eadem; in genere vero morum, vel quoad esse morale sunt actiones essentialiter diversæ, propria enim uxore præscripto à Deo modo uti est actio honesta ac laudabilis, aliena vero est intrinsece turpis & lege Decalogi prohibita. Offert se hic illa difficultas,

tas, an concupiscentia actionem involuntariam faciat; Respondemus, quod per se id nullo modo faciat, sed tantum per accidens. Divus Thomas 1. 2. qu. 6. art. 5. *Concupiscentia non causat involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium: Dicitur enim, ait, voluntarium aliquod ex eo, quod voluntas in id fertur. Per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit. Ergo concupiscentia magis facit ad hoc, ut sit voluntarium, quam quod sit involuntarium.* Sed obstat, quod metus ut affectus involuntarium id faciat: Ergo & concupiscentia; Verum diversa est ratio, metus est de malo, concupiscentia verò bonum respicit. *In eo qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur. Sed in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam (sicut est incontinens) non manet prior voluntas, qua repudiabat illud, quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat. Et ideo quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium, sed quod per concupiscentiam agitur nullo modo. Nam incontinens concupiscentia agit contra id solum, quod prius proponebat, non autem contra id, quod etiam nunc secundum se vult.* D. Thomas d. 1. Et actiones illæ, quæ ob metum mali fiunt, sunt mixtæ, partim voluntariæ, partim involuntariæ Arist. lib. 3. Eth. c. 1. plus tamen participant de voluntario & minus de involuntario, ita ut simpliciter & absolute sint voluntariæ, secundum quid involuntariæ. Fundamentum inæqualis participationis doctè demonstrat D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 6. *Dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 3. Eth. & idem Greg. Nicens in libro suo de homine, huiusmodi, quæ per metum aguntur, mixtæ sunt ex voluntario & involuntario. Id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium, sed sit voluntarium in casu, & ad vitandum malum, quod timetur. Sed si quis rectè consideret, magis sunt huiusmodi voluntaria, quam involuntaria.*

V. Etymon adulterii quod attinet, nonnulli docent, adulterium inde dictum, quod adulter alterius uterum terrat. Pudicitius Alciatus tradidit, quòd sit ad alterius thorum, vel ut alii brevius, ad alterum ire: Nam & Festus ita. *Adulter & adultera dicuntur, quia ille ad alteram, hæc ad alterum se conferunt:* & Papinianus in l. 6. §. 1. ff. ad legem Jul. d. Adulteri. *Adulterium in nuptiâ committi-*

mittitur propter partum ex altero conceptum composito nomine. Jure civili Romanorum adulterium nihil aliud est, quam vitatio ejus, quæ alteri nupta est. Et sic secundum leges civiles adulterium nunquam committitur respectu viri: sive conjugatus sit, sive non, sed respectu uxoris tantum, si enim maritus rem habeat cum virgine vel viduâ, quia alterius thorum (Thorus enim ut domicilium soliviro adscribitur *l. mulierem ff. de ritu nupt. l. 6. C. de donat. ante nuptias*), non ascendit, nec matremfamilias corrumpit, ut ait Triphonin, in *l. 225. ff. d. V. S.* nec partum ex altero conceptum supponit, unde Papinian, in *in d. l. 6. adulterium* deducit, proprie adulterium non committit. Verum si jus divinum, si primam conjugii institutionem, si vinculum & fidem conjugii, si sententias Theologorum intueamur, adulterium est, cum maritus cum soluta rem habeat Genes. 1. v. 27. Genes. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. 1. ad Corinth. 6. v. 15. 16. 1. ad Corinth. 7. v. 3. c. dixit, c. nemo blandiatur 32. q. 4. c. non mœchaberis, 32. q. 6. P. Martyr. *class. loc. comm. c. 11. n. 33.* Rationem traho ex verbis Christi, qui mœchari dicit eum, qui separat carnem à Deo conjunctam: At qui conjugatus tam eam separat, etiamsi scortum aut virgini se agglutinet, quam si ad alienam uxorem transeat. August. *c. 2. de bono conjugali* ait. *adulterium esse violationem fidei conjugalis*, Lactant. *lib. 6. c. 23. adulterium, quod compagem corporis in diversa traxerit.* Non minus vero solvit compagem vir ad scortum prolapsus, quam uxor ad adulterium. Adversari videtur argumentum ex sacro Codice petitum *Levit. 20. 10. Deut. 22. 12. si quis deprehendatur cubans cum muliere maritata marito, omnino morientur pariter ambo.* Mortem ei infligi jubet lex divina, qui alterius uxorem polluit, nullâ prorsus factâ mentione mariti, qui rem habuit cum innupta; Respondemus, quod nuptæ mentio fiat in lege Moïsis, non eò, quod diversum jus sit constitutum, si maritus deprehendatur cubans cum muliere innupta. Sed exaggerandi sceleris causa, confer *c. 21. v. 14. Exod. junct. v. 12. eod.* In foro itaque poli etiam est adulterium, si maritus cum soluta rem habeat, & dicendum hic cum Hieron. in *Epist. ad Ocean.* alie sunt leges Cesarum, alie Christi, aliud Papiniani, aliud Paulus noster precipit. Etenim aliter cœlestis iudex, aliter

ter iudex hujus seculi crimina exigit: ille etiam mente & cogitatione: hic quatenus manu teneri potest. Itaque Deus pronunciat adulteros esse, qui aspiciunt mulierem animo libidinoso: Iudex autem hujus seculi cogitationis poenam neminem pati. *l. cogitationis, 18. ff. d. Pæn.* Consequenter coram cœlesti tribunali adulter erit, qui suo non contentus in aliis rumpit latus, non tamen coram tribunali seculi irrogabitur poena capitalis, nisi ruperit latus in aliena matrefamilias. Notanda hic partitio actionum, quod definitæ sint moraliter, aut indefinitæ. Moraliter definitas vocat Grot. *d. Imp. summ. potest. c. 3. p. 34.* quæ aut debitæ sunt aut illicitæ, quarum illæ moraliter necessariæ, hæc debita sunt aut illicitæ, quomodo in jure turpia impossibilium voce appellantur. Hæc definitio ante humanum imperii actum ex ipsa natura actionum oritur: ut Deum colere, debitum; homicidium, adulterium, & alia delicta committere illicitum est. Deinde actiones aliæ sunt externæ, aliæ mere internæ; illæ sunt primaria materia imperii humani, internæ secundaria, nec propter se, sed propter externas, ideoque circa internas, quæ omnino ab externis separatae sunt, neque eas respiciunt, humana imperia non occupantur. Quod optimè declarat Divus Thomas 2. 2. q. 104. artic. 5. Senec. 3. *de beneficiis: Errat, si quis putat servitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est, corpora obnoxia sunt & adscripta Dominis, mens sui juris est.* Ratio est, quia imperium requirit materiam, cujus natura in imperantis notitiam cadat. Solus autem Deus est *καθ' ὅσον*, ac proinde solus in corda imperium obtinet. Homini- bus actus aliorum interni *suapte natura* sunt incogniti, *Suapte natura* ideo possi, quia si qua sunt externa, quæ clam aliis fiunt, ea imperio subjacent. Cognosci enim natura possunt. Consideratur autem hic τὸ κατὰ οὐρανόν, non τὸ κατὰ συμβεβηκός. Secundario verò quod dixi actus quoque internos subesse imperio, id dupliciter locum habet, aut ex intentione imperantis, aut quodam repercussu. Ex intentione imperantis, ubi actus internus cum externo conjunctus est, & in eum quasi influit, quomodo in delictis perfectis aut inchoatis animus æstimatur. Per repercussum vero, ut quia aliqua actio per imperantis interdictionem facta est illicita (*oportet enim subiecti non tantum propter iram,*

sed

sed etiam propter conscientiam) ideo & cogitando talem actionem ut faciendam eligere, illicitum est, non quia cogitationi propriè lex humana est posita, sed quia nemo honeste potest velle facere id, quod factum turpe est. Vid. Grot. d. imp. summ. potest. circa sacra c. 34 p. 44. d. 1. B. ac P. lib. 2. c. 20. n. 13. & 39. Suarez. d. LL. lib. 3. c. 13. Bene Tertullianus: mediocritas humana de factis solum iudicat, quia voluntatis latebris par non est. Lairo est, inquit Seneca, etiam antequam inquinet manus; Exercetur atque aperitur, opere nequitia non incipit. Eiusdem est: fecit quisque quantum voluit. Aristophanes δὲν ἀρετῆς γὰρ ἴσθ' ὅτι δὲ γὰρ τῶ νοεῖν. Apud Deum mentium exploratorem, qui voluit scelus, is fecit. Vide apud Herodotum de Glaucō historiam, quæ & apud Iuvenalem extat, cum hoc epiphonemate:

*Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tantum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.*

In ipso hoc adulterii crimine verum hoc esse vidit magister nequitia, plane idem de muliere dicens, quod hic de viro dicitur:

*Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est,
Que, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus adultera mens est:
Omnibus exclusis intus adulter erit.*

Quod imitatus Laëtantius dixit, adulteram fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsi depinxerit. Seneca: Non immerito in numerum peccantium refertur, qui pudicitiam timori prestitit, non sibi. Pater Seneca: Incesta est etiam sine stupro, quæ cupit struprum. Sic adulterum Tryphoninus Juris consultus ait dici exanimi propositione sola, etsi nunquam alienam matrem familias corruperit, l. 25. ff. d. V. S. Et Dioni Prusænsi oratione 67. Etiam ille verum fur est, qui non odio furti, sed metu aliquo à furto abstinet, Porphyrius lib. de abstinent. Exuimur malis aut conspicuis aut inconspicuis. Non edere, non accipere oblatas pecunias, conspicuorum est, & omnibus patet. At nec concupiscere inconspicuam est. Postquam autem factis abstineris, abstinendum est moribus ac maximè ipsis animi moribus. Quid enim prodest factis obistere, si causis, unde ea procedunt, adstrictus maneat? Plus videre hac in parte isti Philosophi, quam Ju-

daorum magistri, qui Christi tempore, & paulo ante & post eum fuere: qui ideo, quod poena nulla cogitationi intervertendæ uxoris reive alienæ opposita est, magis pro sententia quadam morali, quales in proverbis multæ sunt, quam pro divino præcepto hoc ipsum habuere, Grotius in *explicat. Decalogi ad verba: Non concupisces*, & annotat. *Matth. 5. pag. 89.*

VI. Nunc de sponsa alterius agendum, cum ea committitur adulterium respondit Ulpian. *in l. 13. §. Divi. & S. si minor. ff. ad leg. Juliam de adult.* adjecta ratione, quod licet sponsalia matrimonium non sint, tamen ne spem quidem matrimonii violare liceat. Qua parte Jus Civile divinis legibus laudabiliter suffragatur, quia & Lex Divina sponsæ violatorem capite plectit. Et Hofseæ 4. v. 12, dicit Deus: *Filiæ vestre fornicabuntur, & sponsæ vestre adulteræ erunt.* Quem locum Hieronimus *in c. quapropter 27. q. 1.* exponens ait: *Notandum est, quod in sibi dicitur fornicationem futuram: in conjugibus adulteria: quæ sponsali conventionem iniuriantur, & commissionem corporum perficiuntur.* Ex sententia igitur Hieronimi sunt sponsæ quasi initiatæ conjuges, quas qui violat, conjugium ipsum violasse merito judicatur, Vid. *Wissenbach, ad l. 101. n. 12. ff. d. V. S. & ad ff. tit. ad leg. Jul. de adult. num. 17.* Anton Matthæi *de crimin. p. 400.* qui ad argumenta Covarruvizæ doctè respondit; Jure Canonico & moribus nostris in sponsam committi adulterium indubitum est, quia hujusmodi sponsalia sunt veræ nuptiæ, pro ut illæ solo consensu perfici dicuntur, *l. 30. ff. d. R. l. l. 32. §. 13. ff. d. donat. inter virum & uxorem. Non coitus inquit, matrimonium facit, sed maritalis affectio & in l. 15. ff. d. cond. & demonstr.* Cui concordant textus juris Canonici, *c. cum iniuriatur 27. quest. 2.* *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis: cum jungitur puella, conjugium est, non cum viri admixtione agnoscitur; conjuges appellantur à desponsationis fide, quamvis ignoretur adhuc inter illos conjugalis concubitus. c. sequi, κατὰ πρόληψιν liberorum sponsi generorum appellatione continentur, l. 4. ff. ad legem Pomp. de Parricida.* Si quis objiciat, quod hodie videatur ad matrimonii essentiam requiri *ἰερολογία*, quæ consistit in proclamatione publica una, bina vel trina, ex suggestu publico, & die nuptiarum facta in Ecclesiam introductione, & sacerdotali copulatione, atque ejusdem

be-

benedictione sive consecratione; quem morem Baronius in
 annal. Ecclesiast. à tempore Apostolorum, & Tertullianus, qui
 in fine seculi secundi post Christum natum vixit, dicit eundem
 suo tempore obtinuisse. I. de *Monochamia cap 11. ut igitur in Do-*
mino nubas secundum legem, & Apostolum, CONJUNGENT VOS
IN ECCLESIA. (Episcopus, Presbyteri, Diaconi) *in Ecclesia vir-*
gine unius Christi unica sponsa. Et lib. de pudicitia: *Ideo apud nos occul-*
ta quoque conjunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professe, juxta
machiam & fornicationem judicari periclitantur. Idem alibi: *Unde*
sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia con-
ciliat & confirmat oblatio. Vid. Grot. ad *Evang. c. 25. Matth. p. 427.*
& seq. Ex seculo quarto evidens eidem copulæ testimonium S.
 Ambrosius perhibet, breviter & rotunde affirmans, *Conjugium*
velamine sacerdotali & BENEDICTIONE sanctificari oportere,
Epist. 70. Profanas igitur nuptias æstimat, quibus sacerdos non
 benedixit. Paria sanxit Concilium Carthag. 4 c. 13. *Sponsus &*
sponsa, cum BENEDICTI SUNT A SACERDOTE, à pa-
rentibus & paranymphis offerantur, qui cum BENEDICTIONE
accesserint. eadem NOCTE pro REVERENTIA IPSIUS
BENEDICTIONIS in virginitate permaneant. Hæc Synodus habita
 est A. C. 398. præsentè, ut nonnulli putant, S. Augustino. Hinc
 Leo Philosophus in fin. Seculi IX. circa an 890. Nov. 74. 89. illi-
 us mentionem facit, & se refert ad Synodum, quæ est Constan-
 tinopolitana III. conf. 98. Similem legem Alexius Comnenius
 seculo XI. Græcorum Imperator, & Leonis post duo ferè secula
 successor condidit, cujus constitutio inter Imperatorias No-
 vellas *Const. 3. de sponsalibus.* Justinianus An. 527. Rom. Imperator
 nuptias omnes contrahi jussit *cum attestatione* apud defensorum
 Ecclesiæ *Nov. 74. c. 4. § 1.* Sed hæc Ecclesiæ decreta sive Imp. e-
 dicta non sunt eo rigore intelligenda, quasi ἡ ἐγγλὸγία, quam
 Græci sive copula sacerdotalis quam Latini appellant, sit de es-
 sentia matrimonii, vel pars nuptiarum constitutiva. Nec enim
 de jure Naturali, nec positivo divino, vel humano COPULA
 SACERDOTALIS est de essentia matrimonii. Non de jure
 naturæ, hoc enim conjugium est consensus legitimarum per-
 sonarum in indissolubilem vitæ consuetudinem legitimè ex-
 pressus

pressus, quæ definitio τὴν ἱερολογίαν non complectitur. Nec de jure gentium, quia inter paganos, Turcas, Judæos vera conjugia sunt, quæ ipse Apostolus non dirimenda statuit 1. Cor. 12. ubi notat Grotius in annotationibus pag. 381. quod Christus de iis conjugis, in quibus alter esset Christianus, alter non esset, nil dixerit, restat ergo ex præceptis generalibus de dilectione omnium hominum derivare monita. Nemo vero infidelium ducens uxorem ab Ecclesia benedictionem petiturus est. Quare de essentia veri & formalis matrimonii Gentes extra Ecclesiam τὴν ἱερολογίαν non agnoscunt. Multo minus est de essentia conjugii jure civili Romanorum, uti hoc eleganter deducit Dominus Doctor Joachimus Hildebrand in tractatu de Nuptiis veterum Christianorum. Ea quæ hæctenus diximus de sponsa, tam de ea quæ de præsentis, quam eâ, quæ de futuro canonis dicitur, intelligimus: quia nulla inter has vera differentia est, & vernaculæ nostræ non convenit ille loquendi modus, sed verba illa Ich will dich nehmen / puram inducunt obligationem, sicut etiam si quis dicat, Ich will den Garten mit 100 fl. bezahlen / pura censetur contracta emptio venditio. Et promiscue illis verbis utimur: Was willst du mir geben / oder was gibst du mir? Beust. de matrim. c. 8. Cypræ. de Spons. & matrim. c. 4. §. 4. 5. 13. 14. 15. & c. 12. §. 12. n. 4. Sneiderwin. ad instit. tit. de Nupt. part. 1. n. 6. Unde divisionem hanc Canonistarum rejicimus ob hæc rationem; Ubique est purus consensus in promissione nuptiarum, ibi sunt pura sponsalia, Atqui si quis dicat, duco te in uxorem, sive ducam te in uxorem, est purus consensus. Ergo &c. Minor inde constat, quia verba futuri temporis per se nullam inducunt conditionem, nisi talis adjiciatur clausula, per quam vel consensus conditionatam qualitatem accipiat, vel ad certum tempus suspendatur. Recte vero fuit proscriptus mos barbarus nobilitatis in Scotia, licet in undecimum usque seculum productus. Solebant enim Nobiles Scotorum nobiles puellas jam sponfas, aut uxores futuras stuprare, rusticis forte persuasis, sponfas eo modo nobilitari, ac nuptias condecorari, teste Polydoro Virgilio lib. X. rerum Anglicarum, quæ impuritas videtur ex paganismo oriunda, Beatus Calixtus in Epitome Theol. Moral.

Moral. pag. 56. Laudem proinde meretur Malcolinus REX Scotiæ, qui Instinctu Conjugis Margarithæ barbarum istum & foetidum morem sustulit lege lata, ut pro redimendo stupro nuptura virgo aureo nummo pudicitiam à Domino loci redimeret, teste Polydoro d. lib. 10. *Accipe Malcolini factum temperantia plenum. Fuit jam inde à principio apud Scotos institutum seu lex, ut liceret unicuique plures pro opibus ducere uxores, & (2.) nobilibus plebejorum uxores habere communes. ac (3.) domino loci virginem nuptam vitare, antequam vir cum ea cubuisset. Priora duo Religio Christiana statim sustulit: istud posterius longo post tempore Malcolinus sanctissima Margaritha uxoris hortatu uti instituit post homines natos turpissimum penitus extirpavit, dum sanxit, ut virgo nuptura nummum aureum pudicitia redimenda causa domino loci penderet, id quod etiam nunc servatur.* Ex supradictis patet, quomodo in sancto auditorio conscientia, & foro exteriori humano adulterium aestimetur. Quod si scrupulus aliquis moveatur, quare Servator noster voluerit matrem suam Josepho desponsatam esse, tres reddit causas Hieronymus lib. adversus Helvidium. *Sicuti scrupulus, inquit, commoveretur, quare desponsata, & non potius sine sponso, sive ut scriptura appellat, marito, virgo conceperit, sciat triplicem esse rationem; Primo, ut per Genealogiam Josephi, cujus Maria cognata erat, origo quoque Maria offenderetur. Secundo, ne juxta legem Moysi ut adultera lapidaretur à populo. Quis enim in tempore illo credidisset virgini, de Sancto eam Spiritu concepisse, venisse ad eam Angelum Gabrielem, Dei detulisse mandatum, ac non magis ut adulteram juxta exemplum Susanna, sententia omnium condemnassent? Tertio, ut ad Egyptum fugiens haberet solatium potius custodis quam mariti Quarta causam idem comment. in 1. cap. Matth. ex Ignatio addidit, hanc scilicet, ut diabolum lateret. Quinta secundum autorem operis imperfecti; ne spurium videretur, qui natus esset: Si dixerunt, inquit, Judai, nonne hoc est JESUS filius Josephi, quanto magis, si Maria extra domum sponsi peperisset, aliquid gravius dicturi fuerant? Sexta est secundum Bernhardum, ut haberet virgo testem sua pudicitia & integritati.*

E

Qui-

Quibus septimam addit B. Calixtus, *quat. Evangel. script. concord. p. 35.* è virgine conjugio destinata Christum nasci voluisse, ut quandoquidem è conjugio nasci non decebat, honorem tamen quantum poterat, conjugio exhiberet.

VII. Hactenus quid sit adulterium, & quibus castibus committatur, exposuimus. Nunc jungendæ ampliationes. Hac prohibitione *non mœchaberis*, per consequentiam omnem impudicitiam vetari, recte monent Theologi, cum enim variæ sint ejus species, aliæ aliis graviore, ex una specie crassissimâ, eaque maxime humanæ societati adversa, & in proximum contumeliosa, reliquas omnes, quæ sub uno genere continentur, notari, ex eo necessario colligitur, quod, cum lex sit perfecta peccata omnia prohibens, & virtutes omnes commendans, oportet sub aliqua legis parte contineri, quæcunque ad illius peccati, luxuriæ nempe, naturam faciunt. Nulla vero alia est præter hanc prohibitionem, ad quam revocari possunt. Ex hac ratione omnia illa sub uno genere conjungit Paulus, *Gal. 5. 16.* ubi inter opera carnis commemorat *scortationem, immunditiam, adulterium, lasciviam, &c.* Hoc vitium luxuriæ est grave peccatum; quo enim bonum est excellentius, eo majoris momenti censetur illud opus, & majus peccatum, quod in opere committitur. Atqui propagatio naturæ & conservatio generis est bonum excellentius, quam conservatio individui: Ergo inordinatio, quæ committitur circa opus illud, est gravior, quam quæ circa cibum & potum. Octo numerantur filia luxuriæ à D. Gregorio *lib. 31. Moral. cap. 31. cecitas mentis, precipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus presentis seculi, & horror futuri.* Lessius *de just. & jur. lib. 4. dub. 5. n. 42. & seq. D. Thomas quest. 154. art. 1.* ex Gratiano sex species luxuriæ assignat, *fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, & vitium contra naturam.* Notat vero Cajetanus *art. 1.* adulterium, incestum, raptum, stuprum, & sacrilegium non esse propriè & metaphysicè species luxuriæ, sed solum morali & vulgatâ ratione loquendi, quâ minus communes speci-

species dicuntur, etiamsi solum per accidens communem aliquam rationem contrahant. Nam deformitas, quam addit circumstantia illa personæ vel loci luxuriam contrahens, non est contra castitatem, sed contra aliam virtutem; *in adulterio raptu & stupro* contra iustitiam: *in sacrilegio* contra religionem: *in incestu* contra pietatem, quæ parentibus & sanguine junctis debitam reverentiam deserit. Et infert Cajetan: hujusmodi actus proprie esse sub duplici genere: adulterium sub ratione injuriæ quæ fit conjugii esse speciem injustitiæ, ratione carentiæ vinculi conjugalis inter personas esse speciem luxuriæ. Dicuntur vero species luxuriæ potius quam injustitiæ ob duas rationes; quarum prior est, quam adfert D. Thomas, quia luxuria magis est formalis, cum se habeat in illis peccatis per modum finis: injustitia vero magis se habet materialiter & per accidens, adulterium enim committitur non ut fiat injuria, sed propter voluptatem carnalem, quod si quis adulterium committeret eo fine, ut contumeliam inferat marito, potius diceretur species injustitiæ quàm luxuriæ, quia finis non esset luxuria sed injuria, luxuriæ autem peccatum se haberet instar medii altera ratio est, quia illa peccata committuntur in materia luxuriæ, & per actum ejus, & ita potius dicuntur species luxuriæ, quàm injustitiæ, luxuria enim magis ibi elucet Lessius *de just. & jur. lib. 4. dub. 6.* Quænam sint omnia illa, quæ isto præcepto *Non machaberis* implicite prohibentur, satis notum est iis, qui castimoniam & honestatis regulas norunt, sufficit nobis, si præcipuas species luxuriæ castè attingamus, ex quibus de aliis judicium fieri potest. Ad hanc igitur legem prohibentem pertinent tam quæ adulterio minora sunt, quàm quæ graviora. An polygamia hac lege prohibetur? est difficilis questio, de *l. B. & P. lib. c. 5. n. 8. 9. Conjugium naturaliter esse existimavimus talem cohabitationem, maris cum femina, quæ feminam constituat quasi sub oculis & custodia maris. Nam tale consortium & in mutis animantibus quibusdam videre est. In homine verò, qui animans est utens ratione, ad hoc accessit fides,*

qua si femina mari adstringit. Nec aliud ut conjugium subsistat, natura videtur requirere. Sed nec divina lex amplius videtur exegisse ante Evangelii propagationem: Nam & viri sancti ante legem plures unâ uxores habuerunt, & in lege precepta quedam dantur his, qui plures una habent, & regi præscribitur, ut nec uxorum nec equorum nimiam sibi adsciscat copiam, ubi Ebraei interpretes notant, octodecim sive uxores sive concubinas regi fuisse concessas, & Davidi Deus imputat, quod uxores ei complures & quidem illustres dedisset. Puffendorff. *element. Jur. prud. univers. lib. 2. obf. 5. §. 7. Prolis gratia*, inquit D. Augustinus *de nuptiis & concupiscentia lib. 1. c. 8.* (quem videsis *item lib. de bono conjugali cap. 25. & contra Faustum lib. 22. cap. 47. 48.*) Patres sanctos ex Abraham & ante Abraham, quibus Deus, quod ei placuerint, perhibet testimonium, ufos fuisse conjugibus, neminem oportet dubitare Christianum, quando quibudam etiam singulis plures habere concessum est, ubi ratio fuit prolis multiplicanda, non varianda appetitio voluptatis Seldenus *de I. N. G. juxta disciplin. Ebraor. lib. 5. c. 6.* Hanc polygamiam naturâ non repugnare. Grotius *de I. B. & P. lib. 2. d. c. 5.* ait, partim ratione se putans niti, partim autoritate. Rationem in definitione matrimonii, quam merito repudiamus, posuit, dum obligationem de potestate in corpus non reciprocavit, quod tamen faciendum esse, recta ratio dicitur, in matrimonio etiam in terminis naturalibus sumpto; nec aliter constat ratio pacti, & repensatio fidei; nisi uxorem servili loco velis habere, quod sine flagitio fieri nequit. Hujus rei imago in quibusdam animantibus observari solet, si cui placet illum declarandi modum adhibere, nota sunt columbarum conjugia. Legi divinæ, primæque institutioni matrimonii contrariam esse polygamiam, evincitur ex loco *Matth. 19. 8.* argumentum enim, quo Christus adversus divortium utitur, *ab initio autem non fuit*, nullas vires habet, nisi hanc majorem præsupponat. Quemadmodum in principio fuit, ita in statu conjugali se debet habere. Atqui initio duo tantum conjuncti fuerunt in carnem unam, *Genes. 2. sub fin.* Ergo lege institutionis matrimonii, id est, mas cum foemina

minā unā conjugī debet. Eodem argumento munitus *Malachias c. 2. vers. 14. & seq.* & ex prima matrimonii institutione licentiam polygamīæ damnat. Deinde *Levit. 18, 18.* expresse polygamia prohibetur, quod summi Theologi & Hebrææ linguæ peritissimi Junius & Tremellius firmis rationibus demonstrant, locum ex phrasi Hebræa ita vertentes: *Mulierem unam ad alteram ne assumo.* Nec ante Lamechum Cainici generis hominem quenquam legimus plures simul uxores duxisse, ex quo intelligimus polygamiam sicuti & reliquas corruptelas paulatim irrepisse. Præceptum de adulterio non committendo omnem scrupulum eximit, nemo enim unquam dixit aut dicit, ad foeminas id tantum pertinere, si ergo ad utrumque pertinet, maritus committet adulterium, quoties fidem matrimonii dederit alteri, aut in thorum receperit alteram foemina, in vita eā, cui potestatem in suum corpus fide interposita primum dedit. Unde merito Christus pronunciat eum moechari, qui vinculo prioris matrimonii non soluto aliam uxorem ducit, *Matth. 19. 9.* Quid si consentiat uxor, cui fides data est? Non est quod credatur, unquam hoc futurum, ut foemina consentiat injuriæ suæ, nisi vi metuque adducta, aut imbecillitate ac defectu judicii mota, neutro verò ex fonte jus oriri potest. Præterea, etiamsi prorsus voluntaria esset consensio uxoris, non caret tamen vitio. Jus enim naturæ quod Deum habet auctorem, non potest ullius humanæ arbitrio aut consensu imminui vel tolli; semper reclamabit conscientia, decedentibus perturbationibus, prius uxori fidem dedi irrevocabiliter perpetua consuetudinis vitæ obligatione, & corpus meum mancipavi. Quamobrem concludendum est cum Beda *tract. de polygam.* nunquam in foro conscientię licitum fuisse, plures uxores eodem tempore habere, ac proinde patrum exempla, quos plures uxores habuisse legimus, nobis non esse imitanda. & rectè notat Bocclerus *comment. r. in Hug. Grot. de l. B. & P. lib. 2. c. 5. p. 162.* in polygamia patrum esse nodum haud dubie indissolubilem, five

Enim de dispensatione aliqua divina, sive de n̄vo & peccato, quod Deus toleravit, loquaris: vel incerto niteris, vel in explicabili difficultate te indues, ut cogaris tandem dicere, non liquet.

VIII. Incestus luxuriæ species est crimen valde atroc, & quidem matrimonia parentum cujuscunque gradus cum liberis jure naturæ sunt interdicta, nam nec maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam potest præstare matri, quam natura exigit, nec patri filia, quia, quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludit. Benè Paulus Jurisconsultus *in l. adoptivus. §. serviles ff. de rit. nupt.* ait, contra pudorem esse. Seneca Hippolyt.

Fere quoque ipsa veneris evitant nefas.

Generaque leges inscius servat putor.

Exempla allegat Hieronymus Rorarius in erudito opusculo, quod animalia bruta melius homine ratione utantur. Vide Puffendorff. *Element. Jurisprud. Univers. lib. 2. obs. 5. §. 6.* Inter fratres & sorores matrimonia jure naturæ interdicta non sunt, per hanc enim conjunctionem auctore naturæ Deo genus humanum est multiplicatum. Non autem videtur probabile Deum ejusmodi casum procurasse, ut omnino legi naturæ vis esset inferenda; præsertim cum facile fuisset istum casum evitare, creatis ab initio duobus conjugum paribus. Monuit tamen verecundia illa, ut, postquam necessitas ejusmodi expiravit, aucto sufficienter hominum numero, iste gradus per leges positivas prohiberetur; præsertim cum eorum victus quotidianus stupris & adulteriis occasionem valde pronam esset daturus, Puffendorff. *Element. Jurisprud. Univers. lib. 2. obs. 5. §. 9.* Illud hic non incommodè quaeritur: An omnia interdicta *Levit. 18.* sint moralia & perpetui juris, atque haut secus restringant omnium hominum vitam, quam ipsa Decalogi præcepta. Ajentem sententiam probant Ant. Cont. 2. *subsec. Zanchius lib. 4. de oper. Dei c. 1. th. 7. Beza d. repud. & divort.* & plures

plures alii, quorum catalogum habet Sanchez. *de matrim.* lib. 7. disp. 52. n. 7. Osiander in Hugon. *Grot. de l. B. & P. lib. 2. c. 5. ad Th. 14. observat.* Boecler. in *Grot. d. c. 5. §. 13.* ibique Ziegler. in *animadversion.* Vinnius ad §. 6. *instit. d. Nupt.* Valent. Guil. Forster. *d. nupt. cap. 7.* Negantem verò sententiam tanquam veriozem nos amplectimur cum Hugone Grotio lib. 2. c. 5. n. 13. 14. & Seldeno *d. I. N. & G. juxta disciplin. Ebraor. lib. 5. c. 2.* Sic enim *Levir. d. c. 18. v. 16.* extat prohibitio matrimonii cum fratris vidua, quam tamen Deus *Deut. 25. v. 5.* præcepit. Nec difficilis est responsio ad id, quod dicitur de peccato imputato Cananæis & finitimis populis. Potest enim locutio universalis restringi ad præcipua ejus capitula. Et illud quæsitum est, an jure naturali prohibitum sit ducere fororis filiam? ad quam quæstionem responderunt Theologi Helmstadienses, & Magnus Conringius, quorum responsa hic subjungimus.

RESPONSUM.

Theologorum Helmstadiensium.

SPECIES FACTI.

Es hat im Fürstenthum N. ein vornehmer von Adel und renomirter Cavallieur, nach idtlichen Hintritt seiner in Gott ruhenden Eheliebsten, ohnlängst seiner Schwester Tochter zu sich genommen/dahin ziehend/das dieselbe in der Haushaltung ihm assistiren/weniger nicht auff die aus erster Ehe gezeugete annoch ohnmündige Kinder ein wachendes Auge haben sollte. Es hat sich aber begeben/das Er durch solche Gelegenheit eine eheliche Affection und Liebe auff dieselbe geworffen/so gar/das Er derselben maritali affectione ben gewohnet/und durch Menschliche Schwachheit mit ihr sich fleischlich vermischer/worauff denn erfolget/das Sie von ihm schwanger worden. Als nun vorevermeldte Personen aus Gewissens Antrieb einander nicht verlassen können/sondern bey der hohen Landes Obrikeit gnädigste dispensation unterthanigst zu suchen entschlossen. Und zu dem Ende über nachfolgende

de

de Fragen. Ob nemlich die conjunctio cum sororis filia, jure naturali vel Divino morali sey verboten/ und da solches nicht/ ob denn nicht die dispensation von der Hohen Landes Obrigkeit zu erlangen? Unser Rechtliches Bedencken begehret. So haben wir Decanus, Senior und andere Doctores der Theologischen Facultät auff der Fürstlichen Julius-Universität obgesetzten casum mit Fleiß verlesen/ collegialiter wohl erwogen/ und scheineth

I. Daß/ wenn juxta communem & receptam Augustanz Confessionis Doctorum sententiam dieser casus decidiret werden solte/ allerdings die conjunctio cum Sororis filia unzulässig sey/ und dahero die hohe Obrigkeit/ in tali casu als jure naturæ & divino immutabili contrario keines wegès dispensiren könne.

II. So ist auch bekandt/ daß der heil. Ambrosius, als er von dem Paterno consuliret und gefragt worden/ ob nicht sein Sohn/ seiner Tochter Tochter/ oder neptem ex filia könne ehlichen/ da doch von einer andern Mutter/ der Sohn/ von einer andern die Tochter geboren/ schlechter Dinge negativè geantworet/ Wie denn unter andern in der Epistola ad Paternum, so die 48. Epistel ist/ und *lib. 6. Epistolarum Ambrosii edit. Colon. Anno 1616. tom. 2.* zu finden/ diese Worte enthalten. Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia. hoc est, ut accipiat sororis suæ filiam, diversâ licet matre, quam socrus, editam. Numquid ideo licet, quia non est prohibitum jure, Divino expresse? Minimè. Interdictum enim est naturæ Jure, jure interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Et post aliqua: Illud licet in V. T. legimus, ut aliquis uxorem suam sororem duceret, istud inauditum, ut quisquam neptem suam in uxorem accipiat & conjugem dicat. Woraus denn abzunehmen/ daß dieser heil. Lehrer Seculo IV. allbereit und mit ihm vielleicht andere mehr dafür gehalten/ daß conjunctio fratris cum sororis licet alia matre editæ filiâ juri naturæ vel divino morali allerdinge zuwider/ und daher keine dispensatio statt finden könne.

So stehet auch drittens der Desiderirten Dispensation im wege/ daß der novus Sponsus der zuvermahlenden Mutter Bruder/ loco parentis könne gehalten werden. Inter eos vero, qui loco parentum & liberorum sunt, conjugium locum non habere certum & indubitatum esse, Und dürfften wol schwerlich/ Viertens/ Exempel zu finden seyn/ daß in protestirenden Ecclesiis in pari casu jemahls dispensiret worden.

RATIONES DECIDENDI.

Wie dem allen/ so distinguiren doch die obermelde Dd. selber inter legem naturæ ἀπὸ τῆς sive ἁλῶς, hoc est simpliciter & ex omni parte, & κατὰ τὴν τοῦ εὐσεβίου sumptam. Und wie sie davor halten/ daß jenes allerdings immutabile sey/ also können sie nicht in Abrede seyn/ das dieses/ gestalten Umständen nach einige Enderung zulasse.

Daß nun aber derer conjunctionum, die Levitici 18. und 20. verboten sind/ eglische und zwar von denen collateralibus, contra legem naturæ, nicht priori, sondern posteriori modo sumptam, lauffen/ dahin billig auch der propositus casus ihrer eigenen Meinung nach referiret werden muß/ solches bezeugen die heilige Patriarchen/ welchen allen solche verbotene conjunctiones zugelassen/ und Gott selbst toleriret hat. Als da sind Abraham der Sara seine Schwester von Vaters wegē Gen. XX. Amram Moses Vater/ der die Zachebet seine Amitam Exodi, 6. Jacob der zwo Schwestern zugleich zur Ehe hatte. Ja im Anfang menschlichen Geschlechts hat der liebe Gott zugelassen/ daß Adams Kinder/ Schwester und Brüder in der Ehe lebten/ da doch zweifels ohne der gerechte Gott das genus humanum per incestum nicht fortpflanzen wollen/ und gar leicht neben Adam und Evam noch ein paar Menschen erschaffen können. Woraus wir nun billig weiter schließen/ daß/ weil conjugia fratrum & sororum tanquam ex intrinsecâ suâ naturâ non turpia Sitt ohne seine offensam in casu aliquo oder certo respectu zulassen können/ so werde er um so viel mehr conjugium

um fratris cum sororis filia, als ex intrinseca sua natura non turpe gleichfals ohne seine offensam (wo nicht anderweit Verhinderung darzu komme / concediren mögen. Nun findet sich keine andere Verhinderung. Denn erstlich in Levit. am 18. und 20. Capit. diese Personen nicht einsten nahmentlich exprimiret. Und ob wol ins gemein dafür gehalten wird / das personæ non expressæ, quando in æquidistante gradu sunt, cum nominatim expressæ in der Göttlichen prohibition auch mit gemeinet / so ist doch solche Meinung nicht satfsam gegründet / weil sie pro hypothesi seket / das die prohibitiones collateralium in obgesetzten capitibus Levit. juris naturæ propriè dicti & immutabilis seyn. Welches / das es nicht als so sey / aus den vor angezogenen Exempeln der Patriarchen erhellet. Hierzu kommt / das leges prohibentes odiosa seyn; odiosa autem leges non sunt laxandæ, sed restringendæ, ut habet regula juris.

Anlangend das judicium S. Ambrosii, so ist nicht ohne das conjunctio fratris cum sororis filia pro illicita gehalten worden. Es war die damalige quæstio de matrimonio non contracto sed contrahendo, und findet sich bey dem Heiligen Ambrosio sūrgetragenen casu gar nicht / das eben das matrimonium quæstionis per copulam carnalem consummiret gewesen sey. So ist auch vermuthlich / das Ambrosius seine Meinung etwa auff einige erroneam hypothesin gegründet / und vermeynet / das nicht allein die prohibitiones graduum in collateralibus deren in Levitico expressè gedacht wird / sondern auch andere / deren ausdrücklich nicht erwehnet / dasern sie nur in æquali gradu mit denselben juris simpliciter naturalis immutabilis wären / da doch Dr. Gerhardus, Nicolaus, Hemmingius und andere mehr aetsehen müssen / das nicht alle und jede dafelbst ausdrücklich befindliche prohibitiones, und in specie auch die prohibitio conjunctionis fratris cum sororis filia dem juri naturali simpliciter tali zuwider.

So ist auch drittens / der Mutter Bruder nicht anders loco

loco parentis zu halten / als etwa eine Desponsata loco uoris, daß nemlich wie diese non vera, sed quodammodo uxor, also auch jener non verus, sed quodammodo parens sey. Und läßt sich hieher appliciren / was Tertullianus libro de uelands virgin. cap. 6. geschrieben / Desponsata quodammodo nupta, tamen inter quodammodo & verum satis interest. Welchen locum Gerhardus selbst de conjugio p. 252. allegiret und billiget. Und muß man derowegen gleichfalls concediren / das Frater respectu sororis Filia nicht verus, sondern nur quodammodo Parens sey / inter quos tamen satis interfit.

Die letzte ratio dubitandi wird damit aufgehoben / das in dem vorgestellten casu sonderliche circumstantias, welche wohl nicht leicht in andern casibus vorgefallen / species facti an die Hand giebet. Gestalt dann nicht außser acht zu lassen / das eine weit andere Beschaffenheit es habe mit einem matrimonio contrahendo und einem Contracto, oder solch einem / da res non amplius integra, sondern welches per carnalem copulam allbereit consummiret. Wie denn in diesem casu, wenn res adhuc integra wäre / und wir darumb gefragt würden / keiner hohen Christlichen Obrigkeit rathen könten / in ein solches matrimonium Fratris cum sororis Filia zugeheelen / oder in recepta lege positiva zu dispensiren. Weil aber ex specie facti und denen darin enthaltenen Umständen erhellet / agi de matrimonio non contrahendo, sed tali, quod per carnalem copulam jam contractum est, und welchen ein mehreres nicht als die Priesterliche Einsegnung ermangelt / dissolvendo, und man ohne das eine auff solche Weise vollzogene Ehe nicht leicht trennet / so kan die hohe Obrigkeit / ohne Verletzung Gewissens in hac lege Divina positiva, quæ non obligat nisi quando recepta est, nach Befindung sonderbahrer Umstände / als in casu præsentis sich herfür thun / wohl dispensiren / zedoch / daß / weil die Christliche Gemeinde hiedurch geärgert / und dieses Exempel in keine consequenz möge gezogen werden / ein solches scandalum, durch eine nahmhaffte / nach Vermögen der delinquenten regulirte Geldbusse ad pias causas getilget wer-

de. Urfündlich daß dieses Responſum Gottes Wort und den Rechten gemäß/haben wir ſolches mit Aufdrückung Unſer Facultät Inſiegel bekräftigen wollen.

(L.S.)

Decanus, Senior und andere
Doctores der Theologiſchen
Facultät/auff der Fürſt Julius
Univerſität zu Helmſtädt.

Den 9ten Auguſti 1668.

Nunc ſequitur Conſilium Magni

CONRINGII.

Nobilis non nemo cupit conjugio ſibi ſociari filiam ſororis à ſeſe imprægnatam. Quæritur itaque, num jure naturæ & divino ſas ſit, ducere ex ſore genitam? Neutrâ lege id vetitum eſſe, equidem aſſerere non dubito. Quod ipſum ne videar abs ratione affirmare, breviter ſeorſim utrumque demonſtrabo.

Igitur Naturali quidem jure tale connubium eſſe licitum, probo primum iſthoc firmo argumento: quia ipſamet fratrum ſorumque conjugia Natura permittit, minus verò eſt illud ſanguinis vinculum quod intercedit inter patrum & ex ſore natam. Fratrum verò ſorumque connubia Naturam haud vetuiſſe, patet inde, quandoquidem ipſa quaſi voluit, ut ejuſmodi conjugiiſ prima fieret humani generis propagatio. Quod ipſa autem natura inſtituit, id utique non ἀπὸ λῶς vetuit, ſed ſaltem permittit. Sunt qui vim hujus ratiocinationis velint effugere; prætextu deficientis circa initia hominum multitudinis. Sed illi quidem nihil agunt. Illius enim defectus cauſa per ſe & proxima fuit ipſa Natura ordinatio; quod ſcilicet non niſi unus maſculus & foemella una in generis humani propagationem ab ipſo naturæ conditore fuerint conſtituti: potuiſſent autem plures creari, perinde atque eſt factum in
reli-

reliquis animalium speciebus, nisi minus id consentaneum
humani generis nature fuisset visum summo creatori. Enim
vero per incestum naturalem, h. e. contra naturalis honesti
leges, ex ipso naturæ constituto, humana esse genus pro-
pagatum.

Probo idem ex eo; quoniam illius prohibitionis natu-
ralis nulla ratio humanæ menti, quantumvis omnia di-
ligentissimè excusseris, est conspicua. Ex adverso autem
jus Naturæ naturaliter est notum. Leve sanè est quod
nonnulli adferunt: fratrum sororumque connubia natu-
ram ipsam vetare, ne domestica familiaritas stupris det oc-
casione. Vetitam scilicet hac quidem ratione etiam
fuerit, aut domi alere ancillas & servos, aut illarum etiam
omne conjugium. Majorem speciem habet quod S. Am-
brosius aliique causantur: interesse societatis humanæ
longe remotæque spargere connubia, ac proinde naturali
illi societati propinqua quævis matrimonia adversari. In-
terest sanè; non tamen ut semper & ab omnibus id fiat.
Itaque jussit quidem natura etiam cum remotis jungere
connubia; minime tamen hinc est consequens, omnes pro-
pinquiorum conjunctiones naturam vetuisse. Si nulla au-
tem apparet ratio, quæ nos doceat; Naturam fratrum sor-
orumque connubia prohibuisse, multò minus ulla reperitur,
quæ prohibuerit sorore natam ducere.

Accedit tertio, quod etiam post diluvium Patriar-
charum omnium sanctissimus Abrahamus in matrimo-
nio habuerit Saram, suam ex eodem patre sororem; quod
diserte ipsemet profiteretur *Genes. cap. XX. v. 12.* Utque sit ve-
rum, quod Rabbiorum nonnulli, ipseque Josephus ma-
vult, Saram fuisse Abrahamo ἀδελφίδα, fratre videlicet
natam; exemplo illo manifestum utique est, non adversari
naturæ, vel fratrum sororumque saltim τῶν ὁμοπατριῶν,
vel patruorum eum filiabus fratris aut sororis connubia.
Nec verò Abrahamus naturæ leges ignoravit: multo mi-
nus earum conscius in perpetuo incestu vir summæ sancti-
tatis vixit. Ad hoc verò, ipse Deus optimus maximus,

illud Abrahami Saræque matrimonium multis modis sibi acceptissimum fuisse ostendit; atque adeo ex illa posteritate ipsum Messiam nasci voluit, inque illa benedixit fecit omnibus generibus terræ.

De lege igitur Naturæ jam tum constat, illâ non prohibitum, ducere sorore genitam. Nullâ vero etiam divinâ lege id vetitum esse, haud difficile probatum est. Primò enim observandum est: divinam aliquam legem positivam de connubiis, præter eam, quæ cordi prudentiorum meliorumque quorumvis quasi naturâ est inscripta, esse humano generi datam, nullo posse certo judicio probari. Enim verò Hebræorum quidam magistri, eas connubiales leges, quæ Levitici XVIII. exprimuntur, jam tum Adamo fuisse datas, atque adeo jam tum fratrum sororumque connubia esse vetita, profitentur. Videturque isthuc ipse etiam inclinare magnus Grotius l. 2. de Jure Belli ac Pacis cap. V. n. XIII. Est autem hoc commentum merito annumerandum reliquis illorum ineptis traditionibus. Ipseque adeo Grotius in Annotatis ad Genesim cap. 22. v. 13. scribit: *Moribus Noë liberorum voluit Hebræi interdici matrimonia cum sororibus ex matre conjunctis, non cum iis quæ ex solo patre.* Id quod si est verum, non sanè ἀπλῶς omne fratrum sororumque connubium Adamo fuit interdictum; nec verum est, omnes Levitici cap. XVIII. recitatas leges jam tum fuisse latas, cum v. 9. Levitici vetitum sit, non ὁμομητρίως tantum jungi, quod post etiam Atheniensibus placuit, sed ipsos etiam ὁμοπατρίως, repetitumque severè Levit. XX. v. 17. Neque verò acris illa clausula, qua finitur caput XVIII. Levitici, vel legem aliquam positivam divinam ante hac latam, vel prohibitionem naturalem indicat: quorum illud Rabbiniis, hoc nostrum aliquibus placuit, videturque nec Grotio displicuisse. Illa enim nevisquam ad præcedentia omnia, sed quàm maximè ad ultima & præcipua illius capituli pertinet: ipso fatente Grotio l. 2. de Jure Belli ac Pacis cap. V. §. 14. Et Annotatis ad cap. XVIII. Levitici vers. 24. Similiter et si pleræque gentes moratiores fratrum sororumque

que connubia inter Inefanda numeraverint, non id est iudicio veteris fama de lege divina adversus id genus conjugia, quod etiam Grotio est visum. Quæ enim moribus receptis adversantur, illa vulgo solent cum detestatione excipi, interdum justo majore. Ut proinde talibus judiciis non liceat tuto fidere.

Quicquid verò etiam fuerit de divinis legibus connubialibus ante Moysen latis, utque fortassis earum aliqua fratrum sororumque connubia vetuerit, nemo tamen hæcenus asserere fuit ausus, talem legem prohibitoriam, de sororis filia non ducenda, à Deo fuisse constitutam. Ac proinde hæcenus utique nulla talis illi connubio repugnavit. Nulla verò Mosaica lege tale quid esse prohibitum, indicat perpetuum ea de re in lege isthac silentium. Ubi lex autem tacet, ibi permittit. Ceunotum est ex communi omnium gentium consuetudine, & primis principis obligationis, quarumvis civilium legum, cum primis omnium edictorum prohibitoriorum. Id quod hujus loci non est prolixius ostendere. Indicat verò & usus ipse, optimus interpretationum legis cujusque civilis magister, neutiquam apud Hebræos olim connubia ejusmodi fuisse in vetitis habita. Herodes sanè fratris filiam & ipse duxit, & filiam suam Pheroræ fratri despondit, nemine quamvis Phariseorum improbante: ceu narrat Josephus *antiq. hist. lib. 12. c. 16.* Nec in universo Veteri Testamento ejus prohibitionis vel levissimum extat vestigium. Cum porro differrè vetuerit Deus legi Mosaicæ quicquam addere, non habuit ibi locum ulla ampliativa, quam vocant interpretatio: sed strictim literæ fuit inharendum, nisi consultò Urin & Thumim oraculum divinum plus aliquid pronunciasset. Tale autem quid hæc in re contigisse, nullo liquet iudicio.

Jam verò præter Mosaicam de maritalis conjunctionis gradibus, nulla omnino reperitur divina lex. Patet igitur, matrimonium illud nulla divina lege prohibitum esse. Non aliò autem ivisse ipsam summam primæ Eccle-

fig

ſæ per tria amplius ſecula ſanctitatem, itidem indicat ipſorum Canonum Eccleſiaſticorum illius ævi ſilentium. Et vero Canonibus, qui Apoſtolorum vocantur, is qui fratris aut ſororis filiam duxerit, tantum ex clerico ordine removetur: ulterius decernitur nihil. Quod ipſum certiffimo eſt argumento, etiam moribus Evangelicis quamvis rigidiffimis nihil hic promiſcue omnibus eſſe vetitum. Quo facit, quod etſi fratris filiam ducere, prohibuerit vulgò Lex Romana, permiferit tamen id Heraclius Imperator, & Chriſtianis pariter & Catholicis, nemine Episcoporum illius ævi reclamante.

Quandoquidem verò nec naturali nec divina lege prohibitum eſt, filiam fratris connubio ſibi ſociare, ſed omnis illa prohibitio provenit ex poſitiva civili lege, manifeſtum eſt ſummæ poteſtatis civilis facultati eſſe relicta, ſi res exigat, mollire ſeveritatem illam legis civilis, & ex uſu rei publicæ temperare. Nec enim etiam nos dixerimus, licere pro arbitrio quovis vim legum tollere; licere id tamen, ſi poſtulet neceſſitas aut quæ major utilitas, non equidem dubitamus, cum optimis legum cenſoribus proſiteri. Ubi meretur notari, leges nonnullas prohibere quidem factum, non tamen irritum reddere quod factum eſt, ſed duntaxat poenâ aliquâ hoc proſequi; idque quando fit, nihil re ipſe contra legem deſignari, ut quæ ultra poenam non obligaverit. At verò ne civilis quidem aliqua lex matrimonium cum ſororis aut fratris filia jam initium reſcindere jubet. Ac proinde ne quidem illius vis tollitur per intermiſſam reſciſſionem; ſed demum quum omnimoda impunitas conceditur. Et ſanè quamvis ritibus receptis nondum adimpletum fuerit connubium hoc, de quo jam quaeritur; re ipſe tamen, & per acceſſionem carnalis copulæ, utriusque ſpartis conſenſu, jam eſſe conſummatum, merito præſumendum eſt. Non igitur & reſcindere illud æquum fuerit, ut poenam aliquam licere transgreſſio legis civilis jubeat. Taceo, quod in univverſum, ex duobus, malis, minimum admitti in humanis

negotii oporteat: indubiè verò minus sit, famæ & honestati generosæ familiæ etiam cum levi aliquo legis incommodo consulere, quàm illustres personas æterno dedecori exponere.

Nec verò est, quod sinistras oculos metuat isthac in re clementia summi magistratus: quandoquidem maximorum Regum Principumque nonnullorum exempla dudum hic viam munierunt. Et vero in ipsa hac nostra Germania Carolus Archidux Mariam sororis suæ Annæ Alberto Bavaro nuptæ filiam duxit, deditque orbi ipsum Ferdinandum II. Imperatorem. Hujus filiam Mariam Annam sorore Mariæ Annæ genitam duxit Maximilianus Elector Bavarus; unde natus is, qui hodie Electorem agit in Bavaria ejusque Frater. Philippus IV. Hispaniæ Rex ductâ Maria Anna sororis ex Ferdinando III. Imperatore filia, progenit Carolum Hispaniæ nunc Regem, uxoremque Leopoldi Cæsaris. Ipsemet ille noster Augustissimus Imperator Leopoldus habet in matrimonio Margaretam sorore Anna Maria natam. Tantos certe Reges & Principes necessum est incestus, vel matrimonio vel natalibus contracti, damnet is, qui fratris & filiæ sororis connubium omni jure sive naturæ sive divini nefas esse arbitratur. Tale vero quid vel cogitare crimen fuerit Majestatis læsæ, Ita censeo.

Helmstadii 1668. d.
5. Augusti.

HERM. CONRINGIUS
Mppr.

(L.S.)

Et ita etiam à Facultate Theologica & Juridica in hac Academia responsum à Spectabili Domino Decano percepi, qui etiam mihi retulit, à Potentissimo Electore Brandenburgico Consulentem, indicta tamen certâ pecuniæ summa, impetrasset dispensationem.

IX. Memorabile est in Vet. Ecclesia, quamvis rigida disciplina esset, concubinatum tamen fuisse toleratum,

G

nec

nec censuris canonicis subiectum. Concubina autem à concubitu, dicente S. Ambrosio *lib. 3. offic. c. 14.* (unde Tertulliano *gladius concubinus*, qui ad caput dormientis pende-
bat, *lib. de resurrect. carnis*) media erat inter uxorem legiti-
mam & meretricem. Uxor legitima erat, quam maritus
iuxta sacros canones lege publica sibi copulari fecerat. Me-
retrix, quæ viris promiscuè, accepta mercede, commisce-
batur, eadem fornicaria, quod sub fornicibus habitare, sui-
que corporis usuram in cellis meretriciis facere, cui libet
consuevissent, & prostibulum, quod pudore omniposito
pro stabulis, hoc est, ante diversoria federet, & ex advenis
caperet quæstum. Concubina verò erat, quæ undanta-
xat viro sui copiam faciebat, ideoque concubinatus erat
unius viri cum una foemina cohabitatio, vel status inter
legitimam uxorem, quam sacerdos copulaverat, & mere-
triciam foeminam (cujus concubitus publicà poenitentia
semper fuit expiandus) intermedius; vulgo matrimonia
conscientiæ vocant, de quibus accipit Dn. D. Hildebrand
in lib. de nupt. veter. Christian. illud Concilii Toletani *i. can. 7.*
qui uxorem non habet, sed pro uxore concubinam, à communione
non repellatur, quo ipso declarat Synodus sub Theodos. II.
circa A. C. 400. habita, conscientiam hujusmodi hominis
non lædi, cum admittat concubinarium cum sua concubi-
na ad sacram communionem, Grot. *d. I. B. & P. lib. 2. c. 5.*
num. 15. existimat verba Concilii Toletani *i.* in illum sen-
sum esse capienda, ut concubinæ nomine vera uxor intel-
ligatur, adde locum in Clementis constitutionibus *lib. 8. c.*
32. Pertinet huc, quod Theodosius & Valentinianus con-
cubinatum quendam inæquale conjugium nominet, *l. si quis*
naturalem C. d. natural. lib. & notat Grot. in comment. ad
lib. V. Genes. 25. p. 34. quod concubina apud Ebræos fuerit
ancilla, aut alia vilis ad concubitum data, sine scriptura
arrhis, sine ritibus, Tertullianus *l. de viria nuptis ad uxorem c.*
2. Sanè apud veteres nostros, ipsosque Patriarchas, non modo nubere,
*sed etiam pluribus uno uti matrimoniis fas fuit, sicut & concubi-
nis.* Ambros. *de offic. l. 3. c. 14.* & Augustin. *d. civit. Dei lib. 16. c. 34.*
& in

& in *Genesim. ad literam quest. 90.* Selden. *d. l. N. G. jux. disciplin. Ebrae. lib. 5. c. 7.* Marc. Antonius de Dominis *de Repub. Ecclesiast. lib. 5. c. 11. n. 58. 59. 60. 61. 66.* Basilius Pontz. *de maritim. l. 7. c. 54.* Est ergo concubina mediæ ordinis inter uxorem principalem & ancillam, & modò uxor, modo ancilla appellatur. Ipse S. Augustinus, dum in via erat ab hæresi ad Ecclesiam redeundi, concubinam alteram, (priorè dimissâ) se duxisse fatetur, *lib. 6. confess. c. 19.* quod tamen acerbè deflet. Verùm ut rectè tradit Dn. D. Hildebrand in *libell. de nupt. veter. Christian.* in his conscientia matrimonii, sæpè parum conscientia & plurimum libidinis erat, adeo, ut Tertulliani ævo occultæ conjunctiones juxta mæchiam judicari periclitarentur, h. e. parum à fornicatione abesse crederentur. Hinc concubinarij licet ab Ecclesia non sint proscripti, sacristamen ordinibus indigni habebantur. *c. 7. Apost.* Jure Canonico deest rectè prohibitus, *caus. 32. q. 4. e. Dicat aliquis*, quæ est S. Ambrosij sententia de S. Johanne, cui consentit S. Augustinus *Homil. 49.* Unde apud Gratianum *dist. 34. c. Audite Charissimi, &c.* qui etiam jure divino est prohibitus, ut testatur Paulus *ad Corinth. 7. & ad Hebr. 13. v. 4.* qui fornicationi solum opponit conjugium, nullam concubinitus faciens mentionem, quam absque dubio fecisset, si concubinatum legitimæ conjunctioni annumerasset. Petr. Martyr. *Loc. commun. class. 2. cap. 15.* An verò jure naturali sit prohibitus? negat Cardinalis Gabriel Palæotus *tract. de notis & spuris, cap. 11. n. 36.* qui ita pro spuris disputat, ut propriam causam agere facile videatur, uti notat Sutholt. *dissert. 9. §. 82.* Nos verò affirmantem sententiam sequimur. Quo magis enim concubinitus defleat à statu conjugali, eo magis repugnat honestati, finis conjugii est procreatio sobolis, in concubinitu est ipsa fornicatio & concumbendi libido, in matrimonio est consensus & affectio maritalis, in concubinitu consensus diuturnæ carnalis cohabitationis citra animum conjugalem. In illo est perpetua vitæ consuetudo, in hoc usus cohabitati-

onis libidinosa per temporis aliquod intervallum, & quia deest illa honestissima intentio perpetuae vitae, merito concubinatus jure naturali pro illicita habetur conjunctione. Ex quibus patet, quam praeclare honestatem concubinatus de jure naturae defendat Palaeott. Haec turpitudine moralis magis elucet in fornicatione, quae virtualiter & ex mente legis hoc praecepto. *Non machaberis*, continetur, & lege divina est prohibita 1. ad Corinth. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt.* Ad Galath. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuriatio.* ad Eph. 5. *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, qui est idolorum servus, non habet hereditatem in regno Christi.* Sed objiciat quis, Dominus Osae Prophetae praecepit his verbis: *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac filios fornicationum,* respondet D. Thomas q. 114. art. 1. ad 2. Divina dispensatione posse fieri licitum; melius respondet Lessius de just. & jure lib. 4. cap. 3. dub. 7. n. 52. ibi solum praecipit, ut sumat meretricem, seu mulierem, quae valde dedita fuerat fornicationi, in uxorem (id enim Hebraeis mo isto significatur) & ex ea procreet filios, qui suis nominibus, & ordine nascendi representaturi sint filios Israel (qui erant ferè filii fornicationum per assiduam & multiplicem idololatriam fornicantes à Deo) & ultionem divinam illis impendentem avertat. Unde hic non agitur de actu carnali fornicationis permittendo. Ut summatim dicamus, omnia delicta carnis, qualia illa sint, hoc praecepto *Non machaberis*, prohibentur.

X. In hac prohibitione, *Non machaberis*, nulla est exceptio sive personarum, sive aliquarum circumstantiarum; Non enim sicut in quibusdam casibus licet occidere Grot. de l. B. & P. l. 1. c. 2. n. 5. lib. 2. c. 1. n. 3. & lib. 3. c. 1. n. 1. & lib. 3. c. 4. n. 3. Ita in quibusdam seortari aut adulterium committere licet, nec id unquam extra ordinem justitiae. Seneca de benef. lib. 7. *Quidquid erit quo mihi cobaret,*
inter-

intercisa juris humani societas abscondit: Ex quo fonte, ut recte notat Grotius *d. I. B. & P. lib. 3. c. 19. n. 2.* error Michaelis Ephesii profuxit, qui ad quintum Nicomachiciorum, in tyranni uxorem adulterium non committi, autumat: Seneca in *excerptis* 4. 7. *Non putans adulterium, uxorem tyranni polluere, sicut nec homicidium tyrannum occidere*, Julius Clarus in *S. Homicidium* n. 56. foemina bannita impunè adulterio corrumpi censuit, quod ipsum pari errore Judæorum magistri de alienigenis dixerunt, quorum conjugia pronullis habent. Rabbi Levi Ben-Gerson & Rabbi Salamo *ad Lev. 20. 10.* Stupra in foeminas passim legas permissa & impermissa. Qui permiserunt, spectarunt injuriam solam in alienum corpus, cui subicere quidquid hostile est, juri armorum non incongruens judicabant: Alii melius, qui non solum injuriam, sed ipsum efferatæ libidinis ictum considerarunt, & quodis neque ad securitatem pertineat, neque ad poenam, ac proinde nec bello magis quàm pace impunitus esse debeat; atque hoc posterius jus est gentium, non omnium, sed meliorum. Sic Marcellus antequam Syracusas caperet legitur gessisse curam pudicitiaë etiam in hoste servandaë. Atque id inter Christianos observari par est, non tantum ut militaris disciplinaë partem, sed ut partem juris gentium, id est, ut qui pudicitiam vi læsit, quamvis in bello, ubique poenæ sit ohnoxius. Nam nec Hebræalege impune quisquam id tulisset, ut intelligi potest ex ea parte, quæ de captiva ducenda neque vendenda postea constituit. Ad quem locum Bachoi, magister Hebræus: *Voluit Deus ut castra Israelitarum sint sancta, neque projecta in scortationes, & abominaciones ceteras, ut castra gentium*, Grotius *d. I. B. & P. lib. 3. c. 4. n. 19.* Sed si quis hac fortè intentione ac sine peccatum aliquod committat minus, ut devitet majus, quid tunc statuendum? Eftor eruditus aliàs scriptor & commentator inter Pontificios super locum Pauli *Rom. 3. v. 8 non faciamus mala, ut evniant bona, quorum damnatio est justa*, existimat laudabilis illud esse prudentiaë. Ab aliis factum Lothi producitur filias suas prostituentis, atque

Sodomitis ad stuprum tradentis, ut Sodomiticum peccatum præveniunt. Quo exemplo probari posse putant, mala minora admittenda esse, ut vitentur majora. Chryfostomus hoc factum Lothi tanquam virtutem hospitalitate longè majorem commendat. Ambrosius *lib. 1. de A. brab. c. 6.* offerebat (inquit) S. Lothi filiarum pudorem. Nam etsi quoque flagitiosa impunitas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quàm adversum naturam delinquere, præferebat denique suæ verecundiæ hospitalitatem gratiam, & apud gentes barbaras inviolatam. Denique illis quoque in offensâ hospitalitas est, ubi nec germanitas esse potest. Subtilius Thomas *de vio*; Cajetanus *super b. l. de Lotho*: *Loth obtulit filias suas Sodomitis animo non redimendi flagitium flagitio, sed placandi hyperbolicâ submissione suarentem populum, putabat enim & ratiocinabatur, quod populus non acceptaret talem oblationem*: Nos arbitramur humanum aliquid passum esse consternatum Lothum; quia, cum Deus sit super omnia diligendus, qui gravissimè peccatum quodvis averfatur, multum satius est mortem sustinere acerbissimam, quàm levissimum admittere peccatum. Ebræi quoque fatentur peccasse Lothum, & propter hoc peccatum postea fuisse punitum, & incestu pollutum, ut in eare, quàm peccaverit, filias prostituendo suas, pœnas daret. Sed an maritus, cui pro aliena, cum qua rem habere decreverat, propria uxor se subjecit, adulterium committat, quæri potest? respondemus ex intentione agentis adulterium committi, intentio enim mala agentis facit actionem, quæ materialiter velut non est contra leges malum videri Puffendorff, *Element. jur. prud. univers. lib. 2. observat. 1. §. 7.*

XI. Nunc porro expandamus vela, & agamus de probatione adulterii, constat crimen & causam adulterii admodum gravem esse, *c. quid in omnibus 32. q. 7. Boer. decis. 23. n. 76. Menoch. conf. 31. n. 2.* & in causis gravioribus efficaciores probationes requiri, Decian. *conf. 429. licet autem. n. 8. & conf. 458. n. 3. & conf. 614. n. 8. Matthesilan. singul. 119.* Verum

rum quia adulterium est de criminibus, quæ clam, & occulte fiunt, *l. consensu 8. §. sin autem. C. d. repud.* ita ut raro, vel ferè nunquam illud directò probari possit, cum oculis ita non sit objectum, *gloss. in c. literis vers. credebant X. de presumt. Mascard. d. probat. vol. 1. conclus. 57. n. 3.* Rol. à Valle, *vol. 1. conf. 50. n. 3.* recta ratio suadet, ut pro ratione materiæ probatio admittatur. Eleganter Grotius *de V. R. C. l. 2. n. 22. p. 299.* scire debet pro rerum diversitate, diversa quoque esse probandi genera, alia in mathematicis, alia de affectionibus corporum, alia circa deliberationes, alia ubi facti est questio: in quo genere sane standum est, nulla suspitione laborantibus testimonis: quod nisi admittitur, non minus omnia historia usui perit, medicina quoque pars magna, sed & omnia qua inter parentes liberosque est pietas, ut quos haud aliter noscamus, summus Aristoteles *Metaphysicorum 1. p. posterior. cap. ult. certitudo mathematica non in omnibus rebus querenda est, & lib. Eth. in Nicomachum.* Satis de re dictum erit, ubi ea explicabitur, quantum fuit materia. Exacta enim tractatio non pari modo in omni genere querenda est. Quando itaque questio est mota de probatione hujus delicti, distinguitur: An de illo crimine agatur ad faciendum divortium. An verò de infligenda pœna capitali; illo casu ad faciendum divortium præsumtiones loco probationum habentur, *c. Præterea X. d. testibus, c. in literis & cap. sequ. X. de presumt. c. si quiaquam sacerdotum X. de cohabit. cleric. & mulier. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. q. 2. n. 12.* Burlat. *conf. 69. 10. & seq.* quales præsumtiones sunt, adium crebra præsentium nocturna frequentatio, alique clandestini conventus, Parisus *vol. 4. conf. 54. n. 61.* Cravet. *conf. 201.* pernoctatio *n. 24.* Burlat. *d. conf. 69. n. 1.* Vagationes uxoris variæ & illicitæ, *cap. 13. ibi per plana, & nemora, vias, in via, pluries convagantes X. de presumt.* Oscula, bafia, tactus, appositio manuum ad mammillas, discurlationes, vel pernoctationes extra domum mariti, præsertim tempore nocturno ac in latebris, Didac. Covarruv. *d. Matrim. part. 2. cap. 7. §. 6. n. 3.* Felin. *in e. præterea X. à testibus.* Rol. à Valle, *conf. 31. n. 20. & seq.* ibique Martin. Uranius *in lectione 42.* Si in eodem lecto solus cum sola,

sola, nudus cum nuda jacentes visi fuerint, communis vicinæ fama, colloquia munera, epistolæ amatorix, Rol. à Valle *vol. 1. conf. 50. n. 1. & conf. 34. n. 16. & seq.* Balneum commune l. penult. §. 3. C. d. *repud. ibi commune lavacrum.* *Surd. d. aliment. t. 7. q. 16. n. 35. 37.* Farinac. *in prax. crim. part. 4. tit. 16. q. 142. n. 145.* Si vir & mulier visi fuerint ingredi in cameram, & inde postea ipsa mulier visa fuerit egredi, cum rubore faciei, & crinibus solutis, tota horrida, incomta, inornata, & inculta, tunc à jure præsumitur inter illos intervenisse copulam carnalem, nisi contra omnem rationem & verisimilitudinem dicere velimus, in camera inter illos fuisse obortas inimicitias & verbera. Mascard. *d. probat. v. 1. conclus. 453. in fin.* Farinac. *d. part. tit. 16. q. 136. n. 169. & lib. 1. confil. 38. n. 7.* Tanta est vis admonitionis erga uxorem, ut marito trinis attestationibus ostensis, quod scilicet uxor à colloquio extraneorum abstinere debeat, facultatem repudiandi habeat, *Nov. 117. §. His quoque c. 2. X. d. cobabit. Cleric. & mulier.* vid. *Bursat. conf. 735.* Ruland, à Valle *conf. 50.* *Befold. part. 3. confil. 100. & part. 4. conf. 183.* *Trivisan. lib. 2. decision. criminal. decis. 21. & eodem lib. 2. decis. 12. n. 5.* *Mœnoch. de præsumt. lib. 5. præsumt. 41. n. 1. 4.* *Cothman, vol. 3. respons. 16. n. 92.* Posteriori casu si ad poenam criminaliter agatur, præsumptiones quamvis violentæ, & ex solitudine & nuditate in eodem lecto profluentes, non sufficient ad probationem copulæ carnalis, *Cothman. de resp. 16. n. 69. & seq.* *Cravet. conf. 205. n. 20. & seq.* *Menoch. lib. 1. conf. 30. n. 15.* *Matth. Coler. conf. 18. n. 26. & ibi Pensolt.* *Adrian. Gylman. in symphor. supplic. tom. 2. part. 2. vot. 7. n. 23. 24.* Illud aliquando quaesitum: An si quis judicialiter confiteatur se solum & nudum in eodem lecto jacuisse, cum aliqua muliere sola & nudâ, sed neget se cognovisse ipsam carnaliter, intelligi debeat per talem confessionem sufficienter de tali copula constare? *Uranus in lect. ad c. praterea X. d. test. n. 31.* refert se sæpius in factò habuisse illam quaestionem, & semper tenuisse, per talem confessionem non constare sufficienter de copula carnali, & quidem hac ratione, quod duo testes, etiam si

Etiam si deponant, se vidisse virum solum, & nudum, cum muliere sola, & nuda in lecto jacuisse, non probent copulæ carnalem intervenisse, nisi etiam adjecerint se credere, quod copula intervenisset; secundum Panorm. *in literis d. presumi.* & ita se sæpè obtinuisse commemorat Uranius in dicto loco.

XII. Jure naturali adulter non tenetur aliquid restituere marito adulteræ pro injuria, si partus non sit secutus. Leonard. Lessius *de justitia & jure lib. 2. c. 10. dub. 5.* si vero secutus sit partus, tantum adulter ad restituenda damna quæ consequuntur, marito vel heredibus legitimis ex sustentatione ejus & hereditatis partitione Grot. *d. 1. B. & P. lib. 2. c. 17. n. 15.* Lessius *d. c. 10. dub. 6.* Adultera vero quantum sine famæ dispendio & vitæ periculo fieri potest, debet procurare, ne legitimi heredes ratione hujus illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant, secus si inde periculum vitæ vel famæ sibi impendere, poterat Covarruv. *ad c. peccatum 1. p. n. 7.* Vita enim nullo pretio est æstimabilis, ergo ob rei pecuniariæ restitutionem non tenetur quis vitam prodigere aut periculo exponere, *c. officii 9. de penitent. & remiss.* ubi Pontifex consultus de quadam muliere, quæ partum sibi insigni artificio supposuerat, essetne absolvenda cum crimen suum timeret marito detegere? respondit: *Sicut mulieri, qua ignorante marito de adultero prolem suscepit, quamvis id timeat confiteri, nec est penitentia deneganda; Ita nec illi, sed competens satisfactio debet injungi per discretum sacerdotem.* Hic Pontifex loquitur in genere de ea, quæ ob aliquam justam causam timet marito detegere crimen; nempe ob periculum vitæ vel famæ, vel etiam perpetuæ offensionis Lessius *de just. & jure lib. 2. d. cap. 10. dubit. 7.* Notabilem casum Lutherus refert in *Commentar. in Genesim cap. 36. fol. 213.* Narratur, inquit, casu de adultera qua ex marito conceperat nobilem, & eum pro legitimo patri & reliquis filii obtrusit. Cum autem angeretur animo ob commissum adulterium, & quod injuste legitimi filii ea parte hereditatis, qua marito obventura erat, privarentur: *quæsitum est, quo pacto ei consulendum esset, an deberet*

confiteri marito & filii peccatum, & petere, ut admitterent nothum ad societatem bonorum? Nam id suadebant aliqui: sed cum non sine periculo fieri videretur, alii aliud consulerunt. Tandem vero Spiritus Sanctus optimum consilium suggessit mulieri. Cum enim decumberet graviter, nec spes vitæ reliqua esset, convocatis ad se septem filii dixit; Charissimi filii, quæso, ut ignoscatis mihi; Fateor enim me humana imbecillitate lapsam esse in gravissimum peccatum adulterii, ex quo natus est filius illegitimus, qui est inter vos, sed quis sit non dicam. Oro autem, ut eum pro legitimo habere, neque excludere ab hereditate velitis. Ibi æquâsimis animis adfensi sunt omnes, & singuli sibi gratulati sunt, quod nominatim non perstringeretur nothus. Nemo enim volebat eam maculam ferre. Et postea facile inter fratres convenit. Mater autem consolatione audita de remissione peccatorum, acquievit in agone mortis vera fide, & in misericordia DEI servata est: Non igitur temere effugienda sunt arcana, sicut Judæi de Ana etiam falso faciunt. Deinde in talibus casibus succurrendum est afflictæ conscientiæ, ut liberentur & respiciantur à Sathane faucibus, ne sanguis Christi frustra fusus sit, daß nicht das theure Blut Christi an ihnen verlohren sey.

XIII. Jure divino capitale supplicium adversus adulterum est constitutum, sic enim divino jure cautum: Si quis adulteraverit alterius uxorem, moriatur tam ipse quam adultera Levit. 20. vers. 10. Deut. 22. v. 2. Si quis concubnerit cum alterius uxore, morte punitur tam adulter, quam adultera, ut tollat malum è medio tuo Carpz. prax. crimin. part. 2. §. 2. n. 16. & seq. Hanc legem non mere forensẽ, solisque Judæis scriptam, sed cum naturali ratione confitet, statuit Anthon. Matth. d. crim. p. 417. mixti generis censendam esse, partim forensẽ partim mortalem, Constare autem legem hanc naturali ratione, inde nititur probare, quod ante eam legem latam, cum Thamar Judæ nurus mœchata diceretur clanculum, educi eam, atque flammis mancipari solet postulaverit; non postulaturus profecto, nisi ratio naturalis jam ante persuasisset hanc condignam tanto crimine pœnam esse Genes. 38. v. 24. Et sane si violant adulteri vinculum & societatem in humanis sanctissimam, si & contumeliam inferunt,

runt, & alienæ matris familias mores corrumpunt, si lemina incesse confundunt, si adulterinos pro suis supponunt, si denique hinc & abortus & veneficia in maritos descendunt, qui potest adulterium minore quam capitis poena plecti? Hinc sapientes de intempestiva ista & inepta Seculi clementia queruntur, & Theologi orthodoxi, uno quasi ore contemptum divinæ legis deplorant, poenamque gladii in usum fore revocandam clamitant. Et esse hunc unum ex casibus, in quibus Christiana Respublica indiget reformatione notat Anthon, *Matth. d. crim. pag. 219.* Verum enim vero hæc lex divina, quamvis quoad prohibitionem adulterii sit moralis, politica tamen est & forensis, solisque Judæis data est interminis, eleganter Calvinus *instit. lib. 4. c. 20. n. 16.* In adulteros, inquit, alibi severiores, alibi leniores editæ sunt poenæ. Videmus tamen ut hujusmodi diversitate in eundem omnes finem tendant: nam uno simul ore poenam pronunciant in ea, quæ æterna Dei lege damnata sunt, facinora, nempe homicidia, furta, adulteria, falsa testimonia: Sed in poenæ modo non conveniunt: neque vero id necesse est, neque etiam expedit. Et paulo post. Quam malignus fuerit, & publico bono invidus, qui tali diversitate offenderetur, ad retinendam legis Dei observationem, accommodatissima? nam quod jactatur à quibusdam, fieri contumeliam legi Dei per Moysen latæ: quum abrogata illa, novæ aliæ illi præferuntur, vanissimum est; neque enim aliæ illi præferuntur, dum magis probantur, non simplici collatione, sed temporum, loci, gentis conditione, aut illa abrogatur, quæ nobis lata nunquam fuit, siquidem non eam Dominus per manum Moysi tradidit, quæ in gentes omnes promulgaretur, & ubique vigeret: sed cum Judaicam gentem in fidem, patrocinium, clientelam suam suscepisset, illi etiam peculiariter Legislator esse voluit, ac, quod sapientis legislatoris erat, singularem quandam ejus rationem in ferendis legibus habuit. Hactenus Calvinus. Petrus quoque Martyr, cujus exactum judicium pari cum modestia conjunctum laudo,

quamvis parum ordine agi censeat, quod adulterii poena capitalis non sit in usu, quoniam ea consentit cum verbo Dei & legibus divinis, quod nobis maximi momenti esse debet: tamen concludendo expressè profitetur, sese non id agere, ut magistratum auctoritatem convellat: scio, inquit, crimina esse punienda, hoc esse constitutum lege divina: modum verò committi magistratibus, nec vigere oportere easdem leges novi, etiam illas leges civiles traditas per Mosen non magis nos adstringere quam ceremoniales. Ceremoniæ manserunt usque ad adventum Christi; civiles suum usum habuerunt, quamdiu manebat illa respublica, conveniebant illi populo Martyr. *loc. cit. class. 2. e. 2. n. 33. 35.* Adde Grot. *de jure belli, & pacis l. 1. c. 1. n. 16.* & *introduit. in jurispr. Batav. l. 3. part. 32. n. 9.*

XIV. Nunc executiendum, quæ sit poena legis Julæ. Vulgus existimat poenam gladii fuisse, *Idem lex Julia Inst. d. publ. judic. Carpzov. pract. crimin. p. 2. q. 2. n. 30.* & seq. Patientes sed iidem doctissimi viri contra sentiunt, poenam legis Julæ fuisse relegationem, quam sententiam & nos verissimam judicamus, ut constat ex Tacito, *lib. 1. 2. 3. Annal.* & non obscure probat, *l. 5. ff. d. quasi. certe capitalem non fuisse arguunt l. 6. ff. de divorce. l. 11. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 14. d. sestibus l. 13. de his quib. ut indign.* Etipse Justinianus Constantino tribuit, *Nov. 134. c. 10.* S. Augustinus *l. 3. de civit. Dei* disertè scribit, Romanos adulteras foeminas, quamvis aliqua damnatione, nullas tamen morte mulctasse. Ut dubitandum non sit, quin *l. 18. C. d. Transact. & l. 9. C. ad Leg. Jul. de adult.* interpolatæ sint à Triboniano. Cæterum adscribitur legi Julæ etiam ea poena, quæ postea sancita est, quia ea lex primum de crimine & poena adulterii seriò & plenè caverat. Aurea profecto constitutio Constantini *in l. 30. C. ad L. Jul. de Adult.* atque pudicitia matrimonialis unica custos, omnibusque Christianæ orbis Principibus, atque Rebuspublicis commendanda, quam utinam non temerasset noster Justinianus *Nov. 134.* quia adulteræ gladii Poenam remisit, verberatamque in monasterium detrudi voluit

luit, quæ Novella nulla ratione probari potest, licet enim ad fragilitatem sexus respexisse videatur, quia plerumque fit, ut non tam sponte quàm blanditiis atque auro adulterorum corruptæ peccent; tamen ea ratio ad elevanda earum peccata sufficiens non est. Præterquam enim quod multæ ultrò procaces sunt, & sollicitant potius quàm sollicitantur, etiam ad feeditatem illam & incommoda, quæ mulieris peccatum aut comitantur, ut sequuntur, respicere legislatorem oportuit. Imò absurdum est, impudicam, incontinentem, impotentem animi foeminam, in monasterium detrudi; nisi fortè monasteria sentinæ sint, in quas quicquid ubique impudicarum aut infamium confluat. Anthon. Matth. *d. crim. pag. 416.* Non sine causa aliquis suspicari possit, Theodoram Justiniani conjugem magis hujus constitutionis auctorem esse, Bodin. *lib. 1. de Repub.* Hæc constitutio Justiniani est confirmata ab Imperatore Carolo V. *art. 120. in ordin. crimin. ibi.* So ein Eymen einen andern &c. quæ verba cum ad jus commune civile se referant, poenam quoque adulterii de Jure civili constitutam, scilicet, ut viri gladio puniantur, mulieres verò virgis cæcæ in monasterium detrudantur, vigore ordinationis criminalis in Imperio adhuc obtinere dicendum est, sed cum hodie in terris Ecclesiarum reformatarum, usus Monasteriorum esse desierit, quaritur, quomodo poena adulterii quoad foeminas hodie exerceri possit? Arbitratur Modest. Pistor. *consil. 2. in princip. incipit.* Es hat eine vornehme hohe Person. *q. 2. n. 66.* foeminas adulteras virgis cæcæ etiam hodie in monasterium bene posse detrudi. Rectius alii statuunt, uxores adulteras virgis cædi, ac in perpetuum relegari debere, Virgil Pinguet, *qv. 45. n. 2.* Carpz. *prax. crim. p. 2. q. 53. n. 31.* Licet verò jure divino & communi Justiniano & Carolina constitutione poena adulterii sit capitalis, attamen generali ferè consuetudine, extraordinaria poena, interdum etiam mulcta pecuniaria dictari solet, Petr. Heig. *p. 2. q. 29. n. 4.* Cravett. *conf. 37. n. 5.* Johan Fichard *consil. 65. n. 4. part. 1. & consil. 115. n. 7. & 8. part. secund.* Thomas Merkelbach.

in consil. Klocken. tom. 3. conf. 90. num. 18. 19. & Thomas Michael
in consil. Klocken. d. tom. 3. conf. 164. n. 144. & seq. Christoph. Be-
fold Conf. Tubingens. part. 5. conf. 216. Illud hic notandum,
 quod præter capitis poenam quæ jure communi adulteris
 infligitur etiam rei familiaris jacturam sustineant. Jactu-
 ra est hæc, si uxor adulterium commiserit, maritus retinet
 dotem, donationem propter nuptias, & ex paraphernis
 tantam portionem, quanta est tertia dotis *Nov. 117. c. 8.* reli-
 qua bona monasterio addicuntur, nisi sint defendentes,
 quibus bes, vel ascendentes, quibus triens defertur. *Novell.*
134. c. 10. Quod si verò maritus adulterium commiserit, re-
 cuperat uxor dotem, lucratur donationem propter nupti-
 as, & ex reliquis bonis tantum, quantum tertia pars dona-
 tionis propter nuptias efficit, nisi ad sint descendentes, vel
 ascendentes ad tertium usque gradum, qui fisco præferun-
 tur, *d. Novell. 117. c. 9. d. Novell. 134. cap. 10. & cap. ultim.* Insi-
 gnis est difficultas. An rectè dixerimus, adulterio ab uxore
 commissio, maritum dotem retinere *d. Nov. 117?* cum Imper-
 ator *d. Nov. 117.* omnem adulteræ substantiam monasterio
 addicit, & marito duntaxat pactum dotalis instrumenti
 servari videtur: Non levis est hic serupulus, in quo com-
 ponendo varia à variis allata commemorat. *Farinac. quest.*
124. n. 101. & seq. Carpz. Pract. crimin. p. 2. q. 64. n. 2. doctè respon-
 det Anton. Matth. *d. crim. p. 427.* quod in verbis *d. Nov. 134.*
c. 10. ibi illo custodiendo ut in omnibus hisce casibus viro pacta dotali-
bus illata instrumenta conserventur, nulla reperitur particula
 taxativa. Quare locum illum ita interpretatur, ut non so-
 lum dotem lucretur maritus, sed & si quid præterea pactis
 dotalibus comprehensum est, id ei servetur, exemplum
 interpretationis accommodatum, *ex l. 57. ff. d. donat. inter vir.*
& uxor. mutari possumus. Et hæc quæstio hic moveri
 potest, quando mulier dotem perdat? utrum cum civili ju-
 dicio maritus agat, an & si criminaliter injuriam persequa-
 tur? Dicendum videtur, cum actio de moribus sublata sit
 à Justiniano *l. ult. in fin. C. d. repud. & judic. de morib. subl. l. un. § ta-*
ceat. C. d. rei uxor. actio. consequens esse, unicam fere ratio-
 nem

nem adipiscendæ dotis superesse, nempe si maritus publico iudicio mulierem ream faciat. *Nov. 117. cap. 8. §. 2.* Anthon. Matth. *de Crim. pag. 428.* Quod si maritus uxorem in adulterio non deprehensam occiderit, certum est, exactionem dotis hæredibus mulieris competere, *l. 10. §. fin. ff. sol. matrim.* Si vero deprehensam, ob iustissimum dolorem dubitari potest: verum rectæ rationi videtur repugnare, maritum ob facinus commissum dotem mulieris occisæ lucrifacere, *d. l. 10.* Atqui maritus qui uxorem in adulterio deprehensam occidit, facinus committit, quare ex illo principio rectè concluditur, quod maritus qui inconsulto dolore occidere, quam accusare maluit, lucrum dotis perdat. Minor inde probatur: Quoniam lex Julia non adulteram, sed adulterum duntaxat marito occidere permittit. *l. 2. ff. ad l. Jul. d. adulter.* Argumentum etiam præbet *Nov. 117. c. 8.* Nec obstat, quod iustissimus & acerrimus sit dolor mariti deprehendentis uxorem in tanto flagitio. Ob hanc enim causam pœna gladii illi remittitur, non vero lucro dotis afficiendus est. Quod si vero statutum regionis, vel civitatis permittat quoque adulteram occidere, non amittet maritus dotem. Quicumque enim id facit, quod lex permittit, is extra crimen est, nec legitime factum, ullam pœnam meretur. *l. 4. C. ad l. Jul. d. adult.* Atqui maritus hoc in casu id facit, quod lex permittit. Ergo est extra crimen Anthon. Matth. *d. Crimin. pag. 430.*

XV. Cessat ordinaria pœna gladii. (1.) si conjux pro conjuge adultero intercedat, Carpz. *pract. crim. part. 2. q. 55.* (2.) in adulterio à sponso vel in sponsam commisso Carpz. *d. p. 2. q. 56.* (3.) in personis adulterium committentibus cum iis, quos antea quoque adulterii reos fuisse, ac idem crimen cum aliis etiam perpetrasse constat. Carpz. *d. p. 9. 57.* [4.] si vir cujus uxor malitiosè discessit, ad aliam foeminam fuerit prolapsus, aut uxor à marito suo deferta, aliam ad miserit. Carpz. *d. p. 2. q. 58.* [5.] si reus quidem adulterium fuerit confessus, alterius vero partis, cum qua adulterium commissum perhibetur, confessio deficit, vel quod
sim.

Simplicitèr delictum neget, vel quod haberi nequeat
 Carpz. q. 60. Præter hos casus sunt adhuc alii modi, qui
 mitigationem poenæ adulterii important, sic, ut poena or-
 dinaria adulterii locum habeat, non sufficit temeratas esse
 alienas nuptias, sed requiritur ut dolo malo & animo sa-
 crilego fuerint temerata, l. 12. ff. ad L. Jul. de adult. (6.) quod
 si itaque quis per errorem cognoverit non suam, aut si quæ
 per errorem subtraverit non suo, non decepti, sed dece-
 ptores poena capitis sunt affiendi, Carpz. pract. Crim. part.
 2. q. 61. n. 42. 43. 44. 45. Et si quis in nuptam existimaverit fœ-
 minam: quæ nupta erat, fortè quod proflaret in lupanari,
 aut pro stola gestaret togam, excusandus est à poena capitis;
 quemadmodum ille excusatur, qui putabat mulierem è
 lege repudiatam esse l. pen. ff. d. tit. si adulterare volens præ-
 ter spem stupraverit, puta in nuptam fuisse, quam ipse nu-
 ptam rebatur, committit quidem in auditorio conscientie
 formaliter loquendo verum adulterium, quia verò lex po-
 sitiva humana factum externum exigit, nec dolus sicut in
 lege Cornelia accipitur, hic pro facto habetur, in foro hu-
 mano exteriori poena ordinaria cessat Matth. de Crim. pag. 421.
 Nec non si quis attentaverit. (7.) apponendo membrum
 virile ad vas muliebri, ebrietate verò aliàve causâ impedi-
 tus, semen non immiserit nec delictum consummaverit, mi-
 tius coerceri debet, uti præjudiciis Scabinorum Lipsiensium
 corroborat Carpz. in pract. Crim. part. 2. q. 61. n. 10. 11. 12. 13.
 & errat Bartolus in l. 1. ff. de extr. Crim. dum contendit, eum
 qui oscula jam sumsit ordinariâ poenâ esse affiendum. Et
 falluntur illi, qui osculum vi extortum in publico capitale
 faciunt, eò quod concurrat vis eum attentatione, vis enim
 ista non est publica, sed privata, nec adulterium perfectum,
 sed conatus adulterii, gravius quidem animadvertetur, at-
 tamen intra gladii poenam. Anthon. Matthæ. de Crim.
 pag. 421. (8.) hæc poena ordinaria cessat in marito vel uxore,
 qui quæve ob conjugis impotentiam coeundi cum ali-
 ena persona extra conjugium se commiscet, & adulterium
 committit, vel si conjux debitum conjugale præstare nolit
 ut

ut maxime posset, si velit Carpz. *pract. Crim. part. 2. q. 61. n. 14. s. 22.* ut præjudiciis confirmat Carpz. *d. q. 61. n. 40. 41. (9.)* si adulterium sic commissum à conjugibus post factum inter eos divortium quoad thorum & mensam Carpz. *d. q. 61. n. 53. & seq. (10.)* Quia sæpè accidit, ut foemina conjugatæ persuasionibus lascivis, & gestibus veneris alliciant juvenes, qui ad libidinem attracti & incitati, si cum iisdem concumbant, & crimen adulterii committant, pro arbitrio judicis, seposita poenæ asperitate, mitius sunt puniendi Carpz. *d. q. 61. n. 63. 64.* quod temperamentum etiam obtinet, ob adulterium ab altero conjugè prius commissum, Carpz. *d. q. 61. n. 74. 75. 76. 77. (11.)* si uxor marito ad mortem condemnato alii sui copiam faciat, priusquam maritus condemnatus morte puniatur, Carpz. *d. q. 61. n. 78. 79.* Nobilitas vero non mitigat poenam in adulterio, Carpz. *pract. Crim. part. 2. q. 62. n. 1. & seq.* Nec dignitas Clericalis in terris Reformatorum Principum, ac statuum Imperii, Carpz. *d. q. 62. n. 16. & seq.* Non atas ingravescens, uti dictaverunt ordinariam Poenam adulterii in casu, quo maritus quidam sexagenarius, & septuagenarius adulterium commisit, Carpz. *d. q. 62. n. 43. 44. 45. 46. 47.* Dissentit Virgil. Pingitz. *q. 57. n. 31. & sequ.* sicut nec minorennitas *l. 37. §. 1. ff. de minor.* nisi forsàn circumstantiæ concurrant, quæ ad mitigationem poenæ sint sufficientes, Carpz. *d. q. 62. n. 57. 58.* Non verò exasperanda illa poena, ob sæpius reiteratum adulterium, pro ut dictaverunt Scabini poenam gladii viduæ, quæ vivente marito 107. personis se prostituerat Carpz. *d. q. 62. n. 69.*

XVI. Adulterio dissolvitur matrimonium *Matth. 5. v. 32.* cujus loci sensus ut rectè accipiatur, observandum est, Christum, toto hoc sermone non leges constituere civiles, sed animis singulorum dare præcepta, & hic nominatim ab eo exponi, quo casu vir bonus legis communis ad divortia spectantis beneficio uti possit. Quare cum lex ipsa maritum ad judicem non remittat, ne Christus quidem id facere censendus est. Et sanè si maritus paratus esset probare adulterium judici, jam non de dirimendo matrimo-

nio, sed de punienda adultera ageretur. Quod ergo stuprum iusta causa esse divortii dicitur, id referri debet aut ad maritos lenes, qui ad poenam deposcere uxores nolunt, qualis erat Iosephus Mariæ conjux, aut ad eos, qui quod ipsi credunt, aut forte etiam certo competere, probare tamen se in iudicio posse diffidunt, quo pertinet illud Hieronymi: *ubicunque est fornicatio & fornicationis suspicio, liberæ uxor dimittitur.* Quod tamen non ita est accipiendum, ut quisvis motus animi suspicacis ad piè sanctèque faciendum divortium valere debeat: sed ne ad legum subtilitatem res exigatur. In isto verò quæstionum genere nihil certi definiti potest: sed omne hoc ex æquo & bono æstimandum est, medio itinere inter anxiam credulitatem & crassam supinitatem. Grot. *in comment. ad Evangelist. c. 5. pag. 98. & Mat. 19. v. 9. pag. 326.* Et quidem adulterio dissolvitur matrimonium, non tantum quoad thorum & mensam, sed & quoad matrimonii vinculum. Luth. *in libell. de causis matrim.* Amel. *Bellarmin. enerv. tom. 3. lib. 7. c. 2. & lib. 5. de conscient. c. 38. P. Martyr. 2. locor. commun. 10. n. 58. & seq. Rittershus. part. 4. expos. Novell. c. 9. n. 4. Wesenbecius in paratit. ff. d. divort. & repud. num. fin. Chemnitius part. 2. Concil. Tridentin. tit. de matrim. can. 7. Beza de repud. & divort. pag. 157. & seqq. Befeld. in consil. Tubingens. part. 2. conf. 55. n. 3. & part. 4. conf. 188. n. 541. Osiander in sua Paraphras. Bibl. Mat. 5. §. errant, & cap. 19. §. quare ubi illegitima divortia. & in Epist. ad Corinib. Cap. 7. §. qui enim uxorem repudiat, & eod. cap. §. in tali casu, Carpz. in prax. crim. part. 2. quæst. 63. Pontificii & Canonistæ concedunt quidem divortium, ita tamen, ut dissolutio matrimonii tantummodo fiat quoad thorum & mensam, non etiam quoad ipsum conjugii vinculum c. qualia 30. p. 5. c. 1. c. Si vero c. quemadmodum. s. fieri potest. 32. q. 7. c. ex literis c. gaudemus. X. de divort. c. per venerabilem X. qui filii legit. c. dixit Dominus 32. q. 1. Argute ut solet Bellarminus lib. 1. de matrim. sacr. am. c. 16. opinionem Pontificiorum probat ex eo, quod omnibus sæculis extiterint inter Patres, qui ita docuerunt, quasi statim in articulum fidei abeat, quod omnibus sæculis propugnatores invenit, sic nullo*

nullo seculo defuerunt, qui Deitatem Filii Dei impugnant; An hunc errorem sive hæresin sola vetustas transcripsit in seriem eorum, quæ pro articulis fidei venditant Canonistæ? Nec verba Christi Matth. 5. v. 32. & cap. 19. v. 19. in dubium vocari possunt, ideo, quod Marcus c. 10. v. 11. & Paulus 1. Corinth. 7. 10. hoc Christi præceptum commemorantes, verbis utantur generalibus, nulla exceptione apposita: nimirum quia tales exceptiones ex naturali æquitate venientes, tacite insunt legibus, quantumvis generaliter pronunciatis Grot. in annot. Matth. 5. pag. 99. & tradit regulam S. Augustin. in lib. de Consens. Evangelist. supplendum esse ex uno Evangelista, quod desit & omissum ab altero. Et esset evidens contradictio inter Evangelistas, si exceptio & temperamentum ex Matthæo non transferretur ad universalem regulam Marci. Hæc duæ propositiones sunt contradictoriae. *Omnia, qui dimiserit uxorem, & alteram duxerit, mœchatur: Non omnia qui dimiserit uxorem & aliam duxerit, mœchatur.* Hanc posteriorem parit exceptio apud Matth. quæ universalem ad particularum traducit: Et ita inferre possumus: si mœchatur, qui dimittit uxorem, nisi ob fornicationem, & ducit aliam; Ergo qui dimittit uxorem ob fornicationem, & ducit aliam, non mœchatur. Porro ex ratione à Christo allegata sic concludimus: Propterea separari nequeunt conjuges, quia qui eos conjunxit, per Adamum dixit: Et adhærebit uxori suæ, & inde erunt una caro. *Matth. 19. Genes. 2.* Atqui adultera desinit esse una caro cum viro, quia facta est una caro cum adultero 1. Cor. 6. Et illa commixtio fieri nequit, nisi disjunctis personis, quæ in unam carnem matrimonio coaluerunt. *Arnise, de jure connub. cap. 5. sect. 7.* licet verò ob adulterium solvatur vinculum conjugii, potest tamen maritus, si velit, penes se retinere adulteram, vel pœnitentem recipere. Nov. 117. c. 8. Nov. 174. c. 10. c. si viv. sciens 3. X. de Adult. ubi ita ex Concilio Arlæntensi est relatam: *Qui retinet adulteram particeps est criminis, sed si pœnitentiam egerit, recipiatur.* Non tamen tenetur maritus in thorum recipere uxorem adulteratam, ut maxime

resipuerit, quia poenitentia non abolet reatum, l. 43. §. 4. ff. d. ritu nups. l. 6. §. ff. d. furt. l. 1. §. 25. ff. deposit. l. pen. ff. d. vi bon. rapt. l. 17. §. 1. ff. d. adul. edict. Anton. Matthxi d. Crimin. p. 260. propterea Augustini argumenta ex lib. 2. ad Pollent. c. 6. 78. quibus nititur ostendere partem laesam de jure teneri ad reconciliationem, merito rejiciuntur à Martyr. in 2. Sam. 11. Beda d. repud. pag. 177. & seq. quia hoc inferunt, in foro conscientiae æquum esse, ut injuriam resipiscendi mulieri, & post poenitentiam à DEO receptæ, ignoscat maritus, cum ipse quoque si non re ipsa, saltem cogitatione adulterium sæpe commiserit: juxta vocem Christi Matth. 5. *Quicumque viderit mulierem & concupiverit.* Nam si hæc ratio inferat necessitatem condonandi, nos nunquam salvâ conscientia injuriam nobis ab aliis illatam jure persequi possumus, quia fieri potuit, ut & nos multis modis erga proximum, si non re & verbis, saltem cogitatione peccaverimus. Arumz. d. jur. connub. cap. 5. sect. 9. Quod diximus supra posse maritum, si velit recipere uxorem. Huic objici solet Proverb. 18. *Qui retinet adulteram, stultus est & impius.* Resp. Ita quidem reddiderunt 70. interpretes, sed veritas Hebraica id non habet, quin & textum illum accipere possis de viro, per socordiam ad adulteria uxoris connivente. Wiffenb. ad ff. tit. d. divort. n. 10. Stat ergo regula pariter jure divino & humano probata; conjugii, uxorem aut virum adulterum recipere volenti, hoc esse concedendum, ac poenam mortis eo casu esse remittendam. Carpz. pract. crim. part. 2. §. 55. n. 37. quæ reconciliatio etiam præsumitur, si post delictum commissum maritus id sciens uxorem carnaliter cognoscat, vel uxor maritum adulterum admittat, Virgil. Pingitz. q. 57. n. 4. Sed quid dicendum de adulterio à marito commisso, an etiam uxori ex hac causa divortium facere licet? Quod affirmamus l. 13. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult. Nov. 117. c. 9. c. 1. si ducturi c. non machaberis 32. q. 6. licet enim uxori adversus maritum negetur accusatio adulterii l. 1. C. ad L. Juliam de adult. ex illo tamen principio non potest elici hoc confectarium. Ergo adulterium mariti justam non præbet

bēt divortii causam, sicuti in multis juris articulis deservit
est foeminarum quam virorum conditio: Ita & in hoc uxorem
maritus adulterii accusare potest, non contra uxorem
maritum, maritus est caput familiae, ac proinde in mutuo
conjugii consortio procul dubio eminet ipsius auctoritas,
cujus imperio videlicet res familiaris administratur, sed si
jus ipsum spectemus, quod alter habet in alterius corpus
(de hoc autem jure propriè in causa adulterii agitur) æqua-
lis utrinque est obligatio, quod conceptis verbis declarat
Apostolus, *Uxor, inquit, suum corpus non habet in potestate, sed
vir: similiter autem & vir suum corpus non habet in potestate, sed
uxor*, ex quibus verbis omnino efficitur, utrinque in pari
obligatione idem jus alteri in alterum (eâ tamen modestiâ
servatâ, quâ mulierem præcipuè in virum agentem decet)
concedi oportere. Didac. Covarr. *part. 2. §. matrimon. c. 7. P.
Martyr. 2. loc. commun. 10. n. 60. & seq.* Beust. *d. matrimon. c. 23.*
Dissolvitur verò matrimonium, non ipso jure, sed ita, si
maritus acetum habens in pectore, ex causa adulterii di-
vortium faciat, Nov. 117. c. 8. §. *si de adulterio*, Bach. *ad Treut.
vol. 2. disp. 6. thes. 8. lit. F. in fin.*

XVII. Extinguuntur crimina in foro exteriori præ-
scriptione temporis, nam quemadmodum in causis ci-
vilibus, præscriptio temporis necessaria visa est, ut esset a-
liquis litium finis, nec semper incerti cives de dominio re-
rum suarum; ita eadem necessaria visa est in causis crimi-
nalibus, ut accusationum esset aliquis finis, nec semper in-
certa spe atque expectatione penderent, quicunque cri-
minis alicujus insimulantur. Et sicuti in civilibus causis
longissimi temporis præscriptio est 30. annorum, l. 1. C. d.
præscript. 30. annor. Ita in criminalibus viginti, quâ perimuntur
omnia crimina, quæ nominatim brevioris temporis
spatio coarctata non sunt, l. *querela 12. C. ad L. Corn. d. Fals. l. 2.*
& 3. ff. d. requir. vel absen. damnat. l. 1. §. præscriptio & §. seq. ff. d. jur. fisci.
Petr. Theodorus in *colleg. criminal. disputat. 10. n. 7.* &
Carpzov. in *pract. crim. part. 3. q. 141. n. 8. & seq.* Anthon Mat-
tæi, *de crimin. p. 924.* Breviori tempore perimunt adulteri-

urn & stuprum, vel quinquennio continuo, vel utili seme-
stri l. 5. l. 28. C. ad Leg. Jul. de adult. l. 29. §. sex mensium & §. seq.
ff. eod. l. 1. §. accusationem ff. ad SC. Turpil. Zanger d. Except. part. 3.
c. 10. n. 213. paria namque sunt satisfactum esse de crimine, vel
præscriptum cognitioni Virgil. Pingit. q. 57. n. 24. Hæc
præscriptio quinquennii locum habet, non solum si per
viam accusationis, sed etiam quando per viam inquisitionis.
judex procedat Jacob Thoming decis. 39. n. 20. & seq. juxta
hæc sapius à poena & processu inquisitorio adulterii reos
absolvisse Scabios Lipsienses tradit Carpz. in pract. criminal.
part. 2. q. 59. n. 35. Et hæc ita in foro exteriori humano
sunt constituta.

Nos portu jam viso, vela ut contrahamus modeste
monemur. Quæ diximus usi Academica libertate, veri-
tatis indagandæ causa, Tuo, *Leffor benevole*, candido, re-
ctoque judicio modeste submittimus, si quid minus rectè à
properante calamo traditum fuerit, emendandi semper
nobis jus est: Gloria tibi Domine JESU, qui es
omnia, & super omnia, & præter omnia,
Scalig. Exerc. 365. sect. 2.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

R. N. I. S.



STILLERSTADT
IN DER
PROVINZ
P. V. R. P. V. A. T. V. M.
JOHANNES GROSSE
CARDINALIS
ALLENBERG
LEONARDUS PRINCEPS
LEONARDUS PRINCEPS
LEONARDUS PRINCEPS



153649

AB: 153649

ULB Halle 3
003 252 787



sb.

n

VD 17





39. 41

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
EXHIBENS
PRÆCEPTUM DECALOGI
**NON MOECHA-
BERIS,**
JURE NATURALI ET PO-
SITIVO cum DIVINO tum HUMANO
deductum

Quam
Deo Ter Optim. Max. Auxiliante
EX DECRETO ET AUTORITATE
Inclyti Ordinis JURISCONSULTORUM
IN ILLUSTRISCHAUMBURGICA
PRÆSIDENTIE

DN. BERNHARDO
Gulken

ICTo Celebratissimo, Consiliario & Consistorii Hassiaci
Adessore Gravissimo, Juridicæ Facultatis
DECANO Spectatissimo
Patrono ac Promotore sancte colendo

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure honores & privilegia DOCTO-
RALIA legitimè & ritu Majorem obtinendi
Publico & Placido Eruditorum examini subijcit

ACHATIUS GVILIELMUS DRÖSEMARIUS
GRONOVENSIS.

IN AUDITORIO JURIDICO
diebus 9. & 10. Maji Anno 1676.
EDITIO TERTIA.

RINTHELII, Recusa 1708.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches